

DE  
ANTIQUISSIMA ITALORUM  
SAPIENTIA  
EX  
Linguae Latinae Originibus  
eruenta

LIBRI TRES  
JOH. BAPTISTAE A VICO  
NEAPOLITANI  
Regii Eloquentiae Professoris.



NEAPOLI, clolccc.  
Ex Typographia Felicis Mosca  
*Permissu Publico.*



## PROOEMIUM.

**D**um linguae latinae ori- *Occasio scribendi*  
gines meditarer, multo- *dorum.*  
rum bene sane verborum tam  
doctas animadverti, ut non a  
vulgari populi usu, sed interio-  
ri aliqua doctrina profecta esse  
videantur. Et sane nihil vetat,  
quin aliqua lingua philosophi-  
cis locutionibus referta sit, si  
in ea gente multum philoso-  
phia celebretur. Ex mea qui-  
dem memoria promere id pos-  
sim, quod dum Aristotelaei Phi-  
losophi, & Galenici Medici flo-  
rebant, per ora hominum illi-

*Linguae doctas  
a nationum phi-  
losophis.*

4 Prooemium

teratorum pervulgata erant fuga vacui, naturae averfiones & studia, quatuor humores, & qualitates, & innumera ejusmodi: postea vero quam neoterica Physice, & Medicina ars invaluit, vulgus hominum passim audias sanguinis circulationem, & coagulum, utilia noxiaque fermenta, aëris pressionem, & alia id genus loqui. Ante Hadrianum Caes. hae voces, *ens, essentia, substantia, accidens* latinis inaudita; quia Aristotelis metaphysice inco- gnita. Viri docti post ea tempora eam celebrarunt; & ea vocabula divulgata. Quapropter cum latinam linguam locutionibus satis doctis scaterere notassem; & priscos Romanos usque ad Pyrrhi tempora nulli rei, praeterquam rusticae, & bellicae dedisse operam historia testetur; eas ab alia docta natione ipsos accepisse, & impru-

Prooemium 5

dentes usos esse conjectabam. Nationes autem doctas, a quibus eas accipere possent, duas invenio, Jones, & Hetruscos. De Jonum doctrina non est ut multis doceam: cum in iis Italica Philosophorum secta, & quidem doctissima, praestantissimaque floruerit. Hetruscos autem eruditissimam gentem fuisse, magnificorum doctrina sacrorum, qua praestabat, confirmat. Ibi enim Theologia civilis excolta est, ubi Theologia naturalis excolitur: ibique religiones augustiores, ubi digniores de Summo Numine opiniones habentur: & ideo apud nos Christianos castissimae omnium ceremoniae, quia omnium sanctissima de Deo dogmata. Sed & Architectura ceterarum simplicissima Hetruscorum, grave argumentum praebet, eos in geometria Graecis priores fuisse. Ab Jonibus autem bonam

*Doctae Latinae  
linguae origines  
ab Jonibus, &  
Hetruscis.*

*Secta Italica  
sapientissima.*

*Hetrusci meta-  
physica doctissi-  
mi.*

*Hetrusci geometriae  
priores Graecis an-  
tiquiores.*

6 *Prooemium*

nam & magnam linguae partem ad Latinos importatam Ethymologica testatum faciunt. Ab Hetruscis autem religiones Deorum, & cum iis locutiones etiam sacras, & pontificia verba Romanos accersisse, constat. Quamobrem certo conjicio ab ea utraq; gente doctas verborum origines Latinorum provenisse; & ea de causa animum adjeci ad antiquissimam Italorum sapientiam ex ipsius latinae linguae originibus eruendam. Opus sane haecenus, quod sciam, intentatum: sed forsitan dignum

*Hoc opus ad Cratylī Platonicū exemplum.*

*Aliud ac Varonis, Scalgeri, Sanctii, Scioppique.*

quod inter *Francisci Baconis* desideria numeraretur: *Plato* enim in *Cratylō* eadem via priscam Graecorum sapientiam assequi studuit. Quare quod *Varro* in originibus, *Julius Scaliger* de causis latinae linguae *Franciscus Sanctius* in *Minerva*, ibidemque in *notis Gaspar Sciop-*

*Prooemium.* 7

*Scioppius* praestiterunt, longo a nostro distat incoepto. Ii enim ex philosophia, quam ipsi docti fuerant, & excolebant, linguae causas eruere, & systema comprehendere satagerunt: nos vero nullius sectae addicti, ex ipsis vocabulorum originibus, quatenus antiquorum sapientia Italorum fuerit, sumus indagaturi.



8  
LIBER PRIMUS

METAPHYSICUS

LIBER SECUNDUS

PHYSICUS.

LIBER TERTIUS

MORALIS,

LIBER PRIMUS,

SIVE

METAPHYSICUS

*Ad nobilissimum Virum*

• • PAULLUM MATTHIAM

D O R I A M

Praestantissimum Philosophum  
scriptus.



**P** T principio eas locutiones, quae conjecturae locum faciunt, quas prisci Italiae sapientes de primo vero, ac summo Numine, animoq; humano opiniones haberent, hoc primo libro exequi; eumque Tibi, Vir amplissime, PAULLE MATTHIA DORIA, inscribere, seu potius in hoc libro de metaphysicis rebus, Te auspice, differere certum fuit: qui ut summum genere, & doctrina Philosophum decet, praeter cetera philosophica, his celsissimis studiis delectaris; & ea ipsa per summam magnanimitatem, & sapientiam excolis. Magni enim animi illud est, quod praeclara aliorum sublimium Philosophorum meditata admiraris quidem, & laudas; sed & majora de Te confidis, & praestas. Nec minoris sapientiae illud, quod unus recentiorum

rum omnium primum verum  
in humanos usus deduxisti ; &  
altera via in Mechanicam, alte-  
ra in Civilem doctrinam deri-  
vast ; & Principem omni mala  
regni arte, qua suum C. Tacit-  
us, & Nicolaus Macchiavellus  
imbuerunt, integrum formas:  
quo nihil ad Christianam legem  
conformius, nihil ad rerum-  
publicarum felicitatem exo-  
ptatius. Sed isthaec communia  
tua sunt erga quemvis merita,  
ad quem vel sola tui amplissi-  
mi, ac praeclarissimi nominis  
fama pervenerit. His autem tua  
erga me illa propria accedunt,  
quod me, & mea pro tua singu-  
lari humanitate benignissime  
excipias, Tuque potissimus me  
ad hujusmodi studia excitave-  
ris. Cum enim anno superiore  
super coena apud Te domi dis-  
sertationem habuissem, in qua  
ex his ipsis Latinae linguae ori-  
ginibus naturam collocabam in

mo-

motu, quo per vim cunei quae-  
que in sui motus centra com-  
pellerentur, & vi conversa a  
centro circumcirca expelleren-  
tur ad ambitum ; & res omnes  
per systolem, & diastolem  
quandam gigni, vivere, & in-  
terire ; Tu, & eximii hujus Ci-  
vitatatis doctrina viri, Augusti-  
nus Arianus, Hyacinthus de  
Christophoro, & Nicolaus Ga-  
litia me monuisti, ut eam rem  
a capite aggrederer, ut rite &  
ordine constabilita videretur.  
Itaque idem insistens originum  
latinarum iter haec Metaphysi-  
ca sum meditatus, quae his no-  
minibus Tibi inscribo: nam ex  
posterioribus curis aliquam  
praeclarissimis iis tribus viris  
dabo, in grati animi, & singu-  
laris observantiae testimonium.

B

De

## De Vero, &amp; Facto.

## CAP. I.

*Latinis verum, & factum.*  
*rum, & factum*  
*idem.*

*Quid intelligere.* *idem est intelligere*, ac perfecte legere, & aperte cognoscere.

*Quid cogitare.* *Cogitare* autem dicebant, quod nos vernacula lingua dicimus *pensare, & andar raccogliendo.*

*Quid ratio.* *Ratio* autem iisdem significabat, & arithmeticae elementorum collectionem, & dotem hominis propriam, qua brutis animantibus differt, & praestat: hominem autem vulgo describebant animantem *rationis partem*, non compotem usquequaque. Altrinfecus uti verba idearum, ita ideae symbola, & notae sunt rerum. Quare quemadmodum legere ejus est, qui colli-

*Homo rationis particeps dicitur.*

colligit elementa scribendi, ex DE VERO, ET quibus verba componuntur; FACTO.

ita intelligere sit colligere omnia elementa rei, ex quibus perfectissima exprimitur idea.

Hinc conicere datur, antiquos Italiae sapientes in haec de vero placita concessisse: Verum esse ipsum factum; ac proinde

in Deo esse primum verum, quia Deus primus Factor; infinitum, quia omnium Factor; exactissimum, quia cum extrema, tum intima rerum ei re-

praesentat elementa, nam continet. Scire autem sit rerum elementa componere: unde mentis humanae cogitatio, divinae autem intelligentia sit propria;

quod Deus omnia elementa rerum legit, cum extrema, tum intima, quia continet, & disponit: mens autem humana, quia terminata est, & extra res ceteras omnes, quae ipsa non sunt, rerum duntaxat extrema coa-

llegit. *Cur in Deo primum verum.* *Cur id infinitum.* *Cur exactissimum.* *Quid scire sit.*

*Hominis cogitatio, intelligentia Dei propria.*

DE VERO, ET  
FACTO.

*Verum divinum  
imago rerum so-  
lida, humanum  
plana.*

*Scientia est co-  
gnitio modi, quo  
res fiat.*

*Cur antiquis  
Italiae Philoso-  
phis verum idem  
ac factum,*

ctum eat, nunquam omnia col-  
ligat: itaut de rebus cogitare  
quidem possit, intelligere au-  
tem non possit; quare particeps  
sit rationis, non compos. Quae  
ipsa ut similitudine illustrem,  
verum divinum est imago re-  
rum solida, tanquam plasma;  
humanum monogramma, seu  
imago plana, tanquam pictura:  
& quemadmodum verum divi-  
num est, quod Deus dum co-  
gnoscit, disponit ac gignit; ita  
verum humanum sit, quod ho-  
mo dum novit, componit item  
ac facit: & eo pacto scientia sit  
cognitio generis, seu modi,  
quos res fiat, & qua dum mens  
cognoscit modum, quia ele-  
menta componit, rem faciat;  
solidam Deus quia comprehen-  
dit omnia, planam homo quia  
comprehendit extima. Quae sic  
dissertata quo facilius cum no-  
stra Religione componantur,  
sciendum est, antiquos Ita-  
liae

liae Philosophos putasse ve- DE VERO, ET  
rum, & factum converti: quia FACTO.  
Mundum aeternum putarunt;  
ac proinde Deum Ethnici Phi-  
losophi coluerunt, qui sem-  
per *ad extra*, quod nostra Theo-  
logia negat, sit operatus. Qua-  
re in nostra Religione, qua pro-  
fitemur Mundum ex nihilo  
creatum in tempore, res haec  
opus habet distinctione, quod  
verum creatum convertatur  
cum facto, verum increatum  
cum genito. Quemadmodum  
Sacrae paginae elegantia vere  
divina, Dei sapientiam, quae in  
se omnium rerum ideas conti-  
net, & idearum omnium proin-  
de elementa, *Verbum* appella-  
runt: quod in eo idem sit verum,  
ac comprehensio elementorum  
omnium, quae hanc rerum uni-  
versitatem componit, & innu-  
meros Mundos posset, si vellet,  
condere: & ex iis in sua divi-  
na Omnipotentia cognitis exa-

*In nostra Reli-  
gione distinguen-  
da res est.*

*Cur Sapientia  
divina Verbum  
appellatum.*

DE VERO, ET  
FACTO.

ctissimum reale verbum existit, quod cum ab aeterno cognoscatur a Patre, ab aeterno item ab eodem genitum est.

*De origine, & veritate scientiarum.*

§. I.

EX quibus antiquorum Italiae sapientum de vero placitis, & hac, quae in nostra Religione adhibetur, *geniti*, & *facti* distinctione, principio habemus, quod cum in uno Deo

*Cum Theologia revelata omnium certissima scientia.*

exacte verum sit, omnino verum profiteri debemus, quod nobis est a Deo revelatum; nec quaerere genus, quo modo verum sit, quod id omnino comprehendere nequeamus. Indidem originem scientiarum humanarum repetere; ac denique normam ad dignoscendum, quae verae sint, habere possumus. Deus scit omnia, quia in se

DE ORIG. ET  
VERIT. SCIENT.

se continet elementa, ex quibus omnia componit; homo autem studet dividendo ea scire. Itaque scientia humana naturae operum Anatome quaedam videtur. Etenim, illustris exempli causa, hominem in corpus & animum; & animum in intellectum ac voluntatem dissectuit: & a corpore excerpfit, seu, ut dicunt, abstraxit figuram, motum, & ab his, uti ab omnibus aliis rebus extulit ens, & unum. Et metaphysica ens, Arithmetica unum, ejusque multiplicationem, Geometria figuram, ejusque commentus, Mechanica motum ab ambitu, Physica motum a centro, Medicina corpus, Logica rationem, Moralis voluntatem contemplatur. Sed de hac rerum Anatome idem ac de quotidiana humani corporis factum est: in qua acriores Physici non parum de situ, structura, & usu par-

*Scientia humana est quaedam naturae Anatomia.*

DE ORIG. ET  
VERIT. SCIENT.

partium ambigunt, ne non per mortem liquoribus concretis, cessante motu & sectione ipsa, & situs & structura viventis corporis perierint, quamobrem earundem usus explorari non possit. Nam hoc ens, haec unitas, haec figura, motus, corpus, intellectus, voluntas, alia in Deo, in quo sunt unum, alia in homine, in quo divisa: in Deo vivunt, in homine pereunt. Cum enim Deus *eminenter*, ut Theologi Christiani loquuntur, sit omnia, & cum perennis entium generatio, corruptioque eum nihil demutent; quia eum nihil augent, nec minuunt; entia finita & creata sunt disposita entis infiniti ac aeterni; itaut Deus unus sit vere ens, cetera entis sint potius. Quare *Plato*, quum absolute *ens* dicit, summum Numen intelligit. Sed quid Platone opus teste, cum Deus ipse nobis se ipsum defi-

*Objecta scientiarum in Deo alia ac in homine.*

*Deus ens, creatur entis.*

DE ORIG. ET  
VERIT. SCIENT.

definiat. *Qui sum, Qui est*: tanquam singula quaeque prae eo non sint. Et nostri Ascetae, sive Metaphysici Christiani ita praedicant; nos prae Deo quantumlibet maximos, & quavis de causa maximos nihil esse. Et cum Deus unice unus sit, quia est infinitus (infinitum enim multiplicari non potest) creata unitas prae eo perit: & ob id ipsum prae eo perit corpus; quia immensum dimensionem non patitur: perit motus, qui loco definitur, quia perit corpus; nam corpore locus completur: ratio haec humana perit, quia cum Deus habeat intra se quae intelligit, & omnia praesentia habeat; quae in nobis sunt ratiocinia, in Deo sunt opera: postremo haec nostra voluntas flexilis; at Deus cum nullum alium sibi propositum finem habeat, quam seipsum; cumque is sit optimus, ejus voluntas

*Vere unitas, quod multiplicari non potest.*

*Infinitum supra corpus est, & loco non continetur.*

*Quae in homine ratiocinia, in Deo sunt opera.*

*In homine arbitrium, in Deo voluntas ineluctabilis.*

lun-

DE ORIG. ET  
VERIT. SCIENT.*Latinis idem  
dividere, &  
minuere.**Via resolutiva**Per syllogismos  
vana.**De numeros di-  
vinatoria.**Per ignem, &  
mensura tenta-  
bunda.**Abstrahio men-  
tis humanae vi-  
sio nata.*

luntas ineluctabilis est. Et ha-  
rum rerum vestigium, quas dis-  
seruimus, in latinis locutioni-  
bus observamus: nam idem  
verbum *minuere* & diminutio-  
nem, & divisionem significat;  
quasi quae dividimus non sint  
amplius quae erant compositae,  
sed diminuta, mutata, corrupta.  
An id ratio sit, cur via re-  
solutiva, quam dicunt, sive per  
genera, & syllogismos, quae ab  
Aristotelaeis celebratur, vana  
comperiatur; sive per numeros,  
quam tradit Algebra, sit divi-  
natoria; sive per ignem, &  
mensura, qua pergit Chemica,  
eat tentabunda? Per hanc igitur  
cum homo naturam rerum  
vestigabundus tandem animad-  
verteret, se eam nullo assequi  
pacto; quia intra se elementa, ex  
quibus res compositae existant,  
non habet; atque id fieri ex sua  
mentis brevitate, nam extra se  
habet omnia; hoc suae mentis

vi-

viciū in utiles vertit usus, & DE ORIG. ET  
abstractione, quam dicunt, duo VERIT. SCIENT.  
sibi confingit; punctum, quod *Abstrahio scienti-  
ae humanae  
mater.*  
designari, & unum, quod mul-  
tiplicari posset. Atqui utrumq;  
fictum: punctum enim, si desi-  
gnes, punctum non est; unum,  
si multiplices, non est amplius  
unum. Insuper pro suo jure  
sumpsit ab his in infinitum us-  
que procedere; ita ut lineas in  
immensum ducere, unum per  
innumera multiplicare sibi lice-  
ret. Atque hoc pacto mundum  
quemdam formarum, & nume-  
rum sibi condidit, quem intra  
se universum complecteretur;  
& producendo, vel decurtan-  
do, vel componendo lineas; ad-  
dendo, minuendo, vel compu-  
tando numeros infinita opera  
efficit, quia intra se infinita ve-  
ra cognoscit. Neque enim in so-  
lis problematibus, sed in theo-  
rematis ipsis, quae vulgo sola  
contemplatione contenta esse

*Homo sibi con-  
fingit mundum  
quemdam for-  
marum, & nu-  
merorum.**Mathesis scienti-  
a operatrix.*

pu-



DE ORIG. ET VERIT. SCIENT. putantur, operatione opus est.

*Deus res ex vero definit.*

*Homo definit nomina.*

Etenim dum mens colligit ejus veri elementa, quod contem-  
platur, fieri non potest quin fa-  
ciat vera, quae cognoscit. Por-  
ro quia physicus non potest res  
ex vero definire, hoc est rebus  
suam cuique naturam addice-  
re, & ex vero facere; id enim  
fas Dei est, nefas homini; nomi-  
na ipsa definit, & ad Dei instar  
ex nulla re substrata, tanquam  
ex nihilo res veluti creat, pun-  
ctum, lineam, superficiem: ut  
puncti nomine intelligat quid,  
quod partes non habeat; appel-  
latione lineae puncti excursum,  
sive longitudinem, latitudinis  
ac profunditatis expertem; ac-  
ceptione superficiei duarum di-  
versarum linearum in unum  
punctum coitionem, sive latitu-  
dinem cum longitudine, praeci-  
sa profunditate. Atque hoc pa-  
cto quando ei negatum est ele-  
menta rerum tenere, ex quibus  
res

DE ORIG. ET VERIT. SCIENT.

res ipsae certo existant; elemen-  
ta verborum sibi confingit, ex  
quibus ideae sine ulla contro-  
versia excitentur. Et id quoque  
sapientes latinae linguae au-  
thores satis perspexerunt; cum  
Romanos ita locutos esse scia-  
mus, ut *quaestionem nominis*,  
& *definitionis* promiscue dice-  
rent; & tunc quaerere defini-  
tionem putarent, cum quae-  
rebant quid, verbo prolato, in  
comuni hominum mente exci-  
taretur. Ex his vides idem hu-  
manae scientiae ac Chemicae  
evenisse: uti enim haec, dum  
rei omnino irrita estudet, prae-  
ter propositum humano generi  
utilissimam operariam artem,  
Spargiricam peperit; ita dum  
humana curiositas verum natu-  
ra ei negatum vestigat, duas  
scientias humanae societati uti-  
lissimas genuit, Arithmetica  
& Geometria, atque ex his  
progenuit Mechanicam, om-

*Quaestio defini-  
tionis, & nomi-  
nis latinis idem.*

*Idem scientiae  
humanae ac  
Chemicae evenit*

*Scientias hu-  
mano generi uti-  
lissimas, quae  
cessissimae.*

DE ORIG. ET VERIT. SCIENT. *num artium hominum generi  
necessariarum parentem. Cum  
igitur scientia humana nata sit  
ex mentis nostrae vicio, nempe  
summa ejus brevitate, qua ex-  
tra res omnes est, & qua quae  
noscere affectat non continet:  
& quia non continet, vera, quae  
studet non operatur; eae cer-  
tissimae sunt, quae originis vi-  
cium luunt, & operatione*

*En scientia di-  
vinæ similis e-  
redit, in qua  
verum, & fa-  
ctum convertun-  
tur.*

*Veri criterium  
est idipsum fe-  
cisse.*

*Cur scientiae  
minus certae  
quae magis in  
materia immer-  
guntur.*

*scientiae divinae similes eva-  
dunt, utpote in quibus verum  
& factum convertantur. Atque  
ex his, quae sunt haecenus dif-  
fertata, omnino colligere licet,  
verum criterium ac regulam ip-  
sum esse fecisse: ac proinde no-  
stra clara, ac distincta mentis  
idea, nedum ceterum verorum,  
sed mentis ipsius criterium esse  
non possit: quia dum se mens  
cognoscit, non facit; & quia  
non facit, nescit genus, seu mo-  
dum, quo se cognoscit. Cumque  
humana scientia ab abstractio-  
ne*

DE ORIG. ET VERIT. SCIENT. *ne sit, ideo scientiae minus  
certae, prout aliae aliis magis  
in materia corpulenta immer-  
guntur: uti minus certa Me-  
chanice quam Geometria, &  
Arithmetica, quia considerat  
motum, sed machinarum ope:  
minus certa physice, quam me-  
chanice; quia mechanica con-  
templatur motum externum  
circumferentiarum; Physice in-  
ternum centrorum: minus cer-  
ta moralis quam Physica, quia  
Physica considerat motus inter-  
nos corporum, qui sunt a natu-  
ra, quae certa est; moralis scru-  
tatur motus animorum, qui pe-  
nitissimi sunt, & ut plurimum  
a libidine, quae est infinita,  
proveniunt. Atque indidem in  
Physica ea meditata probantur,  
quarum simile quid operemur:  
& ideo praeclarissima habentur  
de rebus naturalibus cogitata,  
& summa omnium consensione  
excipiuntur, si iis experimenta*

*Meditata Phy-  
sica ea proban-  
tur, quorum si-  
mile quod opera-  
mur.*

DE ORIG. ET apponamus, quibus quid naturae simile faciamus. Et, ut uno

*Verum humanum quādo cum bono convertitur.* verbo absolvam, ita verum cum bono convertitur, si quod verum cognoscitur, suum esse a mente habeat quoque a qua cognoscitur: & ita scientia humana divinae sit imitatrix; qua Deus dum verum cognoscit, id ab aeterno *ad intra* generat, in tempore *ad extra* facit. Et veri criterium, quemadmodum apud Deum inter creandum est suis cogitatis bonitatem communicasse: *vidit Deus, quod essent bonae*; ita apud homines sit comparatum, vera quae cognoscimus, effecisse. Sed hae res quomunitiori sita sint loco, sunt a Dogmaticis, Scepticisque vindicanda.

*De Primo Vero, quod Renatus Cartesius mendicatur.*

## §. II.

**N**ostrae tempestatis Dogmatici ante Metaphysicam pro dubiis omnia vera habent, non solum quae in agenda vita posita sunt, ut moralia, & mechanica; sed & physica quoque, atque adeo mathematica: nam unam Metaphysicam esse docent, quae nobis indubium det verum, & ab eo, tanquam a fonte, secunda vera in alias scientias derivari: quod cum nulla ceterarum demonstrent esse quae sunt, & eorum aliud esse mentem, aliud corpus; non sunt quicquam certae de subjectis, de quibus agunt. Quare Metaphysicam ceteris scientiis proprios fundos, cui-

*Metaphysica  
aliis scientiis  
subjectum asserit,  
cuique suum.*

DE PRIMO VE-  
RO RENATI.

que suum asserere existimant. Itaque Magnus ejus Meditator jubet, qui ejus sacris initiari velit, eum non solum persuasione, seu, ut loquuntur, praediciis, quae per sensus, fallaces nuncios usque ab infantia conceperunt; sed etiam omnibus veris, quae per reliquas scientias didicerant, casum adire; & quoniam oblivisci nostrum non est, mente si minus tanquam tabula pura, saltem uti libro involuto, quem postea in meliori lumine evolvat, se ad audiendos Metaphysicos applicet. Igitur finis, qui Dogmaticos a Scepticis distinct, erit primum verum, quod nos ejus Metaphysica referat. Quodnam is sit ita maximus Philosophus docet. Homo in dubium revocare potest, an sentiat, an vivat, an sit extensus, an denique omnino sit: & in ejus argumentum opem advocat ejusdam

*Qui finis Dogmaticos inter, & Scepticos,*

ge.

genii fallacis, qui nos decipere possit, non aliter ac apud Ciceronem in Academicis Stoicus, ut id ipsum probet, ad machinam confugit, & utitur somnio divinitus misso. Sed nullo sane pacto quis potest non esse conscius quod cogitet, & ex cogitandi conscientia colligere certo, quod sit. Quare primum verum aperit id esse Renatus: *Cogito: Ergo sum.* Et vero *Plautinus Sossia* non aliter, ac a genio fallaci Carthesii, aut a somnio divinitus immisso Stoici, a Mercurio, qui ipsius imaginem sumperat, in dubium de se ipso adductus, an sit, ad idem instar meditabundus huic primo vero acquiescit.

*Certe aedepol quom illum  
contemplo, & formam agnosco meam,  
Quemadmodum ego saepe in  
speculum inspexi, nimis similis est mihi.*

Iti.

DE PRIMO VE-  
RO RENATI.

*Genius fallax  
Carthesii idem  
ac somnium divinitus immis-  
sum Stoicorum,*

*Et Mercurius  
adsumptus Sossia apud Plautum in Amphitruone,*

*Itidem habet petasum, ac  
vestitum, tam consimile est,  
atque ego:*

*Sura, pes, statura, tonsus, oculi,  
nasum, dens, labra,  
Malae, mentum, barba, collum:  
totus quid verbis opus est.*

*Si tergum cicatricosum, nihil  
hoc simili est similis.*

*Sed quomodo cogito, equidem  
certo sum, ac semper fui.*

Sed Scepticus non dubitat se  
cogitare; quin profitetur ita  
certum esse, quod sibi videre  
videatur, & tam obfirmæ,  
ut id vel cavillis, kalumniis-  
que propugnet: nec dubitat  
se esse; quin curat sibi bene esse  
per assensus suspensionem: ne  
praeterquam quas ipsae res ha-  
bent molestias, addat illas opi-  
nionis. Sed certitudinem, quod  
cogitet, conscientiam contem-  
dit esse, non scientiam, & vul-  
garem cognitionem, quae in  
indoctum quemvis cadat; ut  
So-

*Conscientia  
aliud a scientia.*

Sosiam; non rarum verum, & DE PRIMO VE-  
RO RENATI.

Philosophi meditatione egeat  
ut inveniatur. Scire enim est  
tenere genus, seu formam, quo  
res fiat: conscientia autem est  
eorum, quorum genus, seu for-  
mam demonstrare non possu-  
mus: ita ut passim in vita agen-  
da de rebus, quarum nullum  
nobis edere signum, vel argu-  
mentum datur, conscientiam  
testem demus. At quanquam  
consciens sit Scepticus se cogi-  
tare, ignorat tamen cogitatio-  
nis causas, sive quo pacto co-  
gitatio fiat; idque adeo nunc se  
ignorare profiteretur, cum in  
nostra Religione animum hu-  
manum omni corpulentia pu-  
rum quid esse profiteamur. Un-  
de sentes illi, illaeque spinae, in  
quas offendunt, & quibus se mu-  
tuo compinguntur subtilissimi  
nostrae tempestatis Metaphy-  
fici, dum quaerunt quomodo  
mens

*Cogitationis  
causae occultae*

*Idque adeo in  
nostra Religione.*

DE PRIMO VE-  
RO RENATI.

mens humana in corpus, corpus in mentem agat; cum tangere, & tangi non possint nisi corporibus corpora. A quibus difficultatibus adacti ad occultam Dei legem tanquam ad machinam confugiunt, quod nervi mentem excitent, quum ab objectis externis moventur; & mens intendat nervos, quando ei agere collibitum sit. Itaque

*Mens humana  
aranei similis a  
nostris Meta-  
physicis fingitur.*

fingunt mentem humanam tanquam araneum, ita in contrario, ut ille in suae telae centro quiescere; & ubi quodvis telae filum alicunde motum sit, araneus id sentiat: quum autem araneus, immota tela, tempestatem praesentiscit, omnia suae telae fila commoveat. Atque haec occulta lex ab iis memoratur, quia ignoratur genus, quo cogitatio fiat: ac proinde se obfirmabit Scepticus, cogitandi scientiam non habere. Sed Dogmaticus replicaverit, Scepticum

*An ex conscientia  
cogitandi  
scientia entis  
nascatur,*

DE PRIMO VE-  
RO RENATI.

cum ex conscientia cogitandi scientiam entis acquirere; cum ex conscientia cogitandi inconcussa certitudo entis nascatur. Nec quis certus omnino esse potest, quod sit, nisi esse suum ex re conficiat, de qua dubitare non possit. Itaque Scepticus non est certus se esse, quia id a re omnino indubia non colligit. Verum ad haec Scepticus negabit ex conscientia cogitandi scientiam entis acquiri. Nam scire is contendit esse, nosse causas, ex quibus res nascatur: at ego qui cogito, mens sum & corpus: & si cogitatio esset causa, quod sim; cogitatio esset causa corporis: atqui sunt corpora, quae non cogitant. Quin quia corpore, & mente confito, ea propter cogito: ita ut corpus, & mens unita sint cogitationis causa: nam si ego solum corpus essem, non cogitarem; sin sola mens, intel-  
lige-

*Scire per Scepti-  
cos quidnam ef-  
fet.*

ligerem. Enimvero cogitare non est causa quod sim mens, sed signum: atqui techmerium causa non est: techmeriorum enim certitudinem cordatus Scepticus non negaverit; causarum vero negaverit.

*Adversus Scepticos.*

## §. III.

**N**Ec ulla sane alia patet via, qua Sceptis re ipsa convelli possit, nisi ut veri Criterium sit id ipsum fecisse. Si enim celebrant illud, res sibi videri; quid autem re ipsa sint, ignorare: effecta fatentur, ac proinde ea suas habere causas concedunt; sed causas se scire negant, quia ignorant genera, seu formas, quibus quaeque res fiant. Haec ab iis accepta contra ipsos sic regeras. Haec causarum comprehensio, qua continentur omnia

omnia genera, seu omnes for- CONTRA SCE-  
PTICOS.  
mae, quibus omnia effecta data sunt, quorum simulacra Sceptici suis mentibus objici, & quid re ipsa sint ignorare profitentur; est primum verum, quia comprehendit omnes, in quibus etiam ultimae continentur: & quia omnes comprehendit, est infinitum, nullam enim excludit: & quia omnes comprehendit, prius corpore est, cujus sua causa est, ac proinde spiritale quid est: quod est Deus, & quidem Deus, quem Christiani profitemur: ad cujus veri normam vera humana metiri debemus: nempe ea vera esse humana, quorum nosmet nobis elementa fingamus, intra nos contineamus, in infinitum per postulata producamus; & cum ea componimus, vera, quae componendo cognoscimus, faciamus; & ob haec omnia genus, seu formam, qua facimus, teneamus.

*Omnia comprehendens causa  
sarum est Deus.*

*Scientia divina humanae regula.*

## De Generibus, sive de Ideis.

## CAP. II.

Genus, & Forma  
*larinis idem*

Species, &amp; individuum, &amp; simulacrum significat.

Genera quatuor  
*atione infinita.*

**L** Atini quum dicunt *genus*, intelligunt formam; quum *speciem*, duo sentiunt, & quod Scholae dicunt *individuum*, & simulacrum, sive *apparenza*. De generibus sectae Philosophorum omnes ea sentiunt esse infinita. Igitur necesse est antiquos Italiae Philosophos opinatos, genera esse formas, non amplitudine, sed perfectione infinitas, & quia infinitas, in uno Deo esse: species autem, seu res peculiare esse simulacra ad eas formas expressa. Et quidem si verum antiquis Italiae philosophis idem quod factum; genera rerum, non universalia Scholarum, sed formas fuisse necesse est. Formas autem intelligo me-

metaphysicas, quae a physicis DE GENER. SI-  
ita diversae sunt, ut forma pla- VE DE IDEIS.

stae a forma feminis. Plasticae *Forma meta-*  
enim forma, dum ad eam quid *physica forma*  
formatur, manet idem, & semper *plasticae; forma*  
formato perfectior; forma *physica forma se-*  
feminis, dum quotidie se expli-  
cat, demutatur, ac perficitur

magis; itaut formae physicae *Formae physicae*  
sint ex formis metaphysicis *sint ex meta-*  
formata. Et quod non amplitudi-  
ne, sed perfectione genera infi-  
nita existimanda, id utrorum *physicis forma-*  
utilitate collata dijudicare faci-  
le sit. Nam Geometria, quae syn-  
thetica methodo traditur, nem-

pe per formas, ideo tum opere, *Formarum uti-*  
tum opera certissima est, quia, *litas.*  
a minimis in infinitum per sua  
postulata procedens, docet modum componendi elementa, ex  
quibus *Geometria per*  
formantur, quae *formas eorum*  
demonstrat; & ideo modum *operum, tum opera*  
componendi elementa docet, *certissima.*  
quia homo intra se habet ele-  
menta, quae docet. At ob id



DE GENER. SI- ipsum Analysis, quanquam cer-  
VE DE IDEIS. tum suum det opus, opera ta-

*Cur eadem per* men incerta est; quia ab infini-  
*species certa ope-* to rem repetit, & inde descen-  
*re, incerta opera.* dit ad minima: atqui in infinito  
reperire omnia datur: at qua  
via reperire possis non datur.

*Cur Artes idea-* Artes autem certius diriguntur  
*les certo compo-* ad finem, quem sibi habent  
*res finis.* propositum, quae docent gene-  
ra, seu modos, quibus res fiunt,  
ut Pictura, Sculptura, Plastica,  
Architectura; quam quae non

*Cur conjectura-* docent, ut omnes conjectura-  
*les non item.* les, in qua classe sunt Oratoria,  
Politica, Medicina: & illae  
ideo docent, quia obversantur  
circa prototypos, quos mens  
humana intra se continet; hae  
non docent, quia homo nullam  
formam rerum, quas conjicit,  
intra se habet. Et quia formae

*Inutilitas gene-*  
*rum Aristote-*  
*aeorum.*

individuae sunt, nam linea lon-  
ga, seu lata, seu profunda una  
plus minusve deformat faciem,  
ut nescias eandem esse; hinc fit,  
quod

quod scientiae, artesve quanto  
plus supra genera, non Platoni-  
ca, sed Aristotelaeae insurgunt,  
magis confundunt formas, &  
quanto magis magnificae eva-  
dunt, tanto minus utiles fiunt.

Quo nomine Aristotelis Phy-  
sica hodie male audit, quod ni-  
mis sit universalis: quando con-  
tra genus humanum innumeris  
novis veris ditavit ignis, &  
machina, instrumenta, quibus  
utitur recens Physica, rerum,  
quae sint similes peculiarium  
naturae operum, operatrix. In-  
didem Jurisprudencia non cen-  
setur, qui beata memoria jus  
theticum, sive summum & ge-  
nerale regularum tenet; sed qui  
acri judicio videt in causis ul-  
timas factorum peristates seu  
circumstantias, quae aequita-  
tem, sive exceptiones, quibus  
lege universali eximantur, pro-  
mereant. Optimi Oratores non  
ii, qui per locos communes va-

DE GENER. SI-  
VE DE IDEIS.

*Cur scientias*  
*quo plus generi-*  
*cae minus uti-*  
*les.*

*Physicae opera-*  
*trix commoda.*

*Jurisprudentes*  
*non regulis, sed*  
*exceptionibus*  
*consentur.*

*Oratores optimi,*  
*qui haerent in*  
*causis propriis.*

DE GENER. SI-  
VE DE IDEIS.*Ex Historicis  
utiles qui?**Imitatores boni  
in circumstan-  
tiis melioratis  
spectantur.**Unde scalae I-  
dearum Plato-  
nicar.*

gantur; sed qui, ut *Ciceronis* iudicio, & phrasi utar, *haerent* *in propriis*. Historici utiles, non qui facta crassius, & genericas causas narrant; sed qui ultimas factorum circumstantias persequuntur, & causarum peculiares referant. Et in artibus, quae imitatione constant, uti Pictura, Sculptura, Plastica, Poetica, excellunt qui archetypum, a natura vulgari desumptum, circumstantiis non vulgaribus, sed novis ac miris exornant; aut ab alio artifice expressum, propriis ac melioribus distinguunt, ac faciunt suum. Quorum sane archetyporum cum alii aliis meliores confingi possint; quia semper exemplaria exemplis praestant; Platonicis illas idearum scalas construunt, & per ideas alias aliis perfectiores, tanquam per gradus ad Deum Opt. Max. ascendunt, qui in se omnium continet optimas. Quin

DE GENER. SI-  
VE DE IDEIS.*Sapientia non  
est de iis, quae  
genere continen-  
tur.*

Quin & sapientia ipsa nihil aliud est, nisi solertia decori, qua sapiens ita in omnibus novis rebus loquatur, & agat; ut nihil aeque aptum ad id aliunde desumptum accommodari possit. Itaque sapiens a longo, & multo rerum honestarum & utilium usu mentem quasi subactam reddit, quo novarum rerum, uti sunt in se ipsis, expressas excipiat imagines; & non aliter paratus sit ex tempore loqui, & agere in omnibus rebus cum dignitate, ac fortis comparatum habet animum ad omnes terrores inopinatos. Atqui nova; mira; inopinata universalibus illis generibus non providentur. Quam ad rem satis commode Scholae loquuntur, quum genera materiam metaphysicam esse dicunt; si id ita accipiatur, ut mens per genera informis fiat quodammodo, quo facilius specierum induat formas.

*Ut genera sunt  
materia meta-  
physica.*

DE GENER. SI-  
VE DE IDEIS.

mas. Quod sane verum compe-  
ritur : nam facilius facta & ne-  
gocia percipit, uti percipi oportet,  
qui genera seu simplices rerum  
ideas habet, quam qui pecu-  
liaribus formis mentem in-  
struxit, & ex iis peculiare alias  
spectat : nam res formata diffi-  
cile alii formatae rei aptatur.  
Quare exemplis judicare, exem-  
plis deliberare periculosum :  
quia nunquam, aut perraro rerum  
circumstantiae congruunt  
usquequaque. Atque hoc dif-  
fert inter materiam physicam,  
& metaphysicam. Physica ma-  
teria ideo quamlibet formam  
peculiarem educat, educit opti-  
mam ; quia qua via educit, ea  
ex omnibus una erat. Materia  
autem metaphysica, quia pecu-  
liare formae omnes sunt im-  
perfectae, genere ipso, sive idea  
continet optimam. Vidimus  
utilitates formarum ; nunc uni-  
versalium damna exequamur.

Egregia inter  
physicam, & me-  
taphysicam ma-  
teriam differen-  
tia.

Universalium  
damna.

Loqui

Loqui universalibus verbis in-  
fantium est, aut barbarorum. In DE GENER. SI-  
VE DE IDEIS.

Jurisprudentia, ut plurimum, In *Jurispru-*  
dentia.

sub ipso jure thetico, seu sub re-  
gularum autoritate saepissime  
erratur. In re medica, qui recta *Re medica.*

per theses pergunt, magis con-  
tendunt ne corrumpantur syste-  
mata, quam ut sanentur aegro-  
ti. In vita agenda, quam saepe *In vita agenda.*

peccant, qui eam per themata  
instituerunt ? de quibus graeca  
locutio nobis vernacula facta  
est, qua *thematicos* istos homi-  
nes appellamus. Omnes in Phi-  
losophia errores ab homony-  
mis, vulgo aequivocis nascun-  
tur : aequivoca autem aliud non  
sunt, nisi voces pluribus rebus  
communes : nam sine generibus  
aequivoca non essent : homines  
enim naturaliter homonymiam  
averfantur : cujus rei argumen-  
to illud est, quod puer jussus ad  
accersendum sine discrimine  
Titium, ubi ejus nominis duo  
sunt ;

Errores omnes  
ex homonymia  
generibus refe-  
rendi.

Homines natu-  
raliter homony-  
miam fugiunt.

DE GENER. SI-  
VE DE IDEIS.*An magis gene-  
ra philosophos in  
errores, quam  
sensus in prae-  
judicia vulgus  
conspiciant.*

funt; quia natura attendit particularia; statim subdit: utrum me accersire vis Titiorum? Itaque nescio, an magis genera Philosophos in errores, quam sensus in falsas persuasiones, seu in praejudicia vulgus conji-  
ciant. Nam genera, ut diximus, formas confundunt, seu, ut lo-  
quuntur, ideas confusas, non minus ac praejudicia faciunt obscuras. Et vero omnes sectae in Philosophia, Medicina, Ju-  
risprudentia, omnes in vita agenda controversiae, & jūr-  
gia sunt a generibus; quia a generibus sunt homonymiae, seu equivocaciones, quae ab  
*errore* esse dicuntur. In Physi-  
ca, quia generica materiae, & formae nomina; in Jurispruden-  
tia, quia longe lateque patet appellatio justī; in Medicina, quia sanum, & corruptum sunt nimis ampla vocabula; in vita agenda, quia vox utile defi-  
ni-

nita non est. Atque ita sensisse DE GENER. SI-  
antiquos Italiae Philosophos VE DE IDEIS.

haec in lingua latina extant vestigia: quod *certum* duo signi-  
ficat, & quod est exploratum *Certum latinis*  
indubiumque; & peculiare, *quae significet.*

quod communi respondet: qua-  
si quod peculiare est, certum sit,  
dubium autem quod commu-  
ne. *Isdemque verum, & aequum*  
idem: aequum enim ultimis re-  
rum circumstantiis spectatur, *Verum, & Ae-  
quum latinis*  
quemadmodum justum genere *idem.*

ipso: quasi quae genere con-  
stant, falsa sint, verae autem  
ultimae rerum species. Enim  
vero ista genera nomine tenus  
sunt infinita: homo enim neque  
nihil est, neque omnia. Quare  
nec de nihilo, nisi per aliquid  
negatum, nec de infinito, nisi  
per negata finita cogitare po-  
test. At enim omnis triangu-  
lus habet angulos aequales duo-  
bus rectis. Ita sane: sed non id  
mihi infinitum verum; sed quia  
ha-

*Homo quia ne-  
que nihil est, ne-  
que omnia, nec  
nihil percipit,  
nec infinitum.*

DE GENER. SI-  
VE DE IDEIS.*Universalia ra-  
tionem habent  
quandam archet-  
yporum.*

habeo trianguli formam in  
mente impressam, cujus hanc  
nosco proprietatem, & ea mihi  
est archetypus ceterorum. Si  
vero id contendat esse infiniti-  
tum genus; quia ad eum trian-  
guli archetypum accommodari  
innumeri trianguli possunt; id  
sibi habeant per me licet: nam  
vocabulum iis lubens condo-  
no, dum ipsi de re mecum sen-  
tiant. Sed enim perperam lo-  
quuntur, qui decempedam di-  
xerint infinitam, quod omne  
extensum ad eam normam me-  
tiri possint,

*De**De Causis.*

## CAP. III.

**L**atini *causam* cum nego-  
cio, seu operatione con-  
fundunt; & quod ex causa na-  
scitur, *effectum* dicunt. Haec  
autem cum iis, quae de vero, &  
facto disseruimus, conspirare  
videntur: nam si id verum est,  
quod factum; probare per caus-  
as idem est ac efficere; & ita  
causa, & negotium idem erit,  
nempe operatio; & idem fa-  
ctum, & verum, nempe effe-  
ctus. Causae autem spectantur  
praeicipuae in naturalibus ma-  
teria, & forma, uti in moralibus  
finis, in metaphysica author. Ita-  
que verisimile est antiquos Ita-  
liae Philosophos opinatos, eum  
probare a causis, qui materiam,  
sive elementa rei incondita di-  
gerat, & disiecta componat in

*Latini causa,  
& negotium,  
idem.  
Cur effectus di-  
ctum, quod a  
causa oritur.*

*Probare per  
causas efficere  
est.*

*Effectus est ve-  
rum, quod cum  
facto converti-  
tur.  
Causarum ge-  
nera.*

*Probare a caus-  
is est elementa  
rei colligere.*

E unum;

DE CAUSSI.

*Arithmetica,  
& Geometria  
vere probant a  
caussis.*

unum; ex quo ordine, & compositione elementorum certa rei forma extet, quae peculiariter naturam in materiam inducat. Quae si vera sunt, Arithmetica, & Geometria, quae vulgo non putantur a causis probare, eae a causis vere demonstrant. Et ideo a causis demonstrant, quia mens humana continet elementa verorum, quae digerere & componere possit; & ex quibus dispositis, & compositis exillit verum quod demonstrat; ut demonstratio eadem ac operatio sit, & verum idem ac factum.

*Physica a causis  
si probari non  
possunt.*

*Quodvis finitum  
in infinita  
virtute gignitur*

Atque ob id ipsum Physica a causis probare non possumus, quia elementa rerum naturalium extra nos sunt. Nam quanquam essent finita, tamen infinitae virtutis est ea digerere, componere, & ex iis effectum dare. Neque enim, si ad primam causam spectemus, mino-

DE CAUSSI.

noris virtutis est formicam producere, quam hanc rerum universitatem creasse; quia non minus confert ad formicae formationem, quam ad hujus mundi genefim motus, quo & hic Mundus creatus ex nihilo est, ex quo formica ex sub-

*Sapientes Christiani in quavis re minima infinitam Dei virtutem agnoscunt.*

strata materia producitur. Et sane in asceticis sermonibus suis nostrae Religionis sapientes, nempe qui & cognitione summi Numinis, & morum sanctitate praeclari fuerunt, saepe ex flosculi meditatione in Dei cogitationem perveniunt; quod infinitam in ejus generatione virtutem agnoscunt. Atque id est, quod in nostra dissertatione de Nostri Temporis studiorum Ratione dicebamus, quod Geometrica ideo demonstramus, quia facimus: Physica si demonstrare possemus, faceremus. Hinc adeo impiae curiositatis notandi, qui Deum Opt. Max. a priori pro-

*Impia pietas est velle Deum probare per causas.*

DE CAUSSIS.

*Metaphysici veri claritas eadem ac lucis. Ejus rei appositissima similitudo.*

bare student. Nam tantundem esset, quantum Dei Deum se facere; & Deum negare, quem quaerunt. Metaphysici enim veri claritas eadem est numero ac illa lucis, quam non nisi per opaca cognoscimus. Si enim in elatrata fenestram, quae lucem in aedes admittit, intente ac diu intuearis; deinde in corpus omnino opacum aciem oculorum convertas; non lucem, sed lucida clatra tibi videre videaris. Ad hoc instar metaphysicum verum illustre est, nullo fine concluditur, nulla forma discernitur; quia est infinitum omnium formarum principium; physica sunt opaca, nempe formata, & finita, in quibus Metaphysici veri lumen videmus.

De

*De Essentiis, seu de Virtutibus.*

## CAP. IV.

**Q**uod Scholae *essentiam* Essentia, vis, vocant, latini *vim*, & *potestatem* appellant. Essentias autem omnes Philosophi aeternas, & immutabiles statuant. *Aristoteles* diferte eas individuas, seu, ut Scholae loquuntur, in indivisibili consistere asseverat. *Plato* autem post *Pythagoram* scientiam esse de aeternis, & immutabilibus sentit. Hinc conjicere licet, antiquos Italiae Philosophos essentias putasse individuas omnium rerum virtutes aeternas, & infinitas; quas proinde latinorum Dii immortales latinorum sunt infinitae omnium rerum virtutes.

E 3 phy-

DE ESSENTIIS. physicam veram scientiam esse, quod de aeternis virtutibus ageret. Hinc dubitare licet, an quemadmodum datur motus, & conatus, qui virtus movendi est; ita detur extensum, & virtus, qua quid extendatur: & uti corpus, & motus sunt proprium physicae subiectum; ita conatus, & virtus extensionis sint materia propria metaphysicae: cujus rei te habeo Authorem PAULI praestantissime, qui illud sentis, in Physica actus in Metaphysica esse virtutes,

*De Punctis Metaphysicis,  
& Conatibus.*

## §. I.

**E** Nimvero Latinis *punctum* & *momentum* idem significabant: momentum autem est res, quae movet: & cum punctum, tum momentum iisdem latinis quid indivisibile dicebatur. An igitur antiqui Italiae sapientes in placitis habuerunt, virtutem esse quandam individua extensionis, & motus? & haec doctrina ab Italia trans mare, uti & aliae multae in Graeciam trajecta, a Zenone postea interpolata? Etenim de hac individua extensionis, ac motus virtute nulli rectius quam Stoici sensit mihi videntur, qui de ea per hypothesein puncti metaphy-

Momentum & punctum latinis idem.

Et quid individuum utrunque.

Doctrina de punctis metaphysicis Italiae asseritur.



DE PUNCTIS. taphysici disseruere. Principio enim nullum est dubium quin Geometria, & Geometria, uti & Arithmetica supra reliquas omnes scientias, quas *subalternas* appellant, aut maxime verae sint, aut certe eximiam veri speciem praefeserant: & vicissim illud adprime verum, quod Metaphysica sit omnis veri fons, & unde in alias scientias omnes derivatur.

*Metaphysica  
omnis veri fons.*

*Qua via verum  
a Metaphysica  
in Geometriam  
derivatur.*

Quisque autem novit Geometras suas syntheticas methodos a puncto ordiri; & protinus ad infinitae rei contemplationem progredi crebris illis postulatis suis, ut lineas in immensum producere sibi liceat. Si quis autem quaerat, qua via id verum, aut ea veri species ex metaphysica in geometriam derivata; nulla sane, quam per malignum aditum puncti. Nam Geometria ex Metaphysica virtutem extendendi desumpsit; quae quia virtus est extēsi prior ex-

extenso est, scilicet inextensa. DE PUNCTIS. Quemadmodum Arithmeticus *Virtus extēsi prior extēso est, ac proinde inextensum.* ex Metaphysica desumpsit virtutem numeri, nempe unum, quae quia virtus est numeri, non est numerus: & quemadmodum unum, quod non est numerus, numerum gignit; ita punctum, quod non est extensum, parit extensionem.

*Virtus numeri  
non est numerus*

*Qua ratione  
puncti definitio  
sit nominis*

Cum enim Geometra punctum definit id esse, cuius nulla pars est, ea definitio nominis est; quia nulla substernitur res, quae partes non habeat, & tamen mente, vel stylo designes. Quemadmodum unius definitio apud Arithmeticum nominis quoque est; quia ii praestituunt unum multiplicabile, quod re ipsa unum non est. At Zenonii eam puncti definitionem rei existimant, quantum sit punctum instar ad quod de indivisibili extensionis motusque virtute mens humana cogitare possit. Quare falso illud

## DE PUNCTIS:

*Geometria tra-  
ctat materiam  
meram, qualem  
ei suppetit Me-  
taphysica.*

*Punctum geo-  
metricum instar  
metaphysici: &  
punctum meta-  
physicum corpo-  
ris physici vir-  
tus.*

*De Physica Py-  
thagora judi-  
cium.*

Iud vulgo putant, Geometriam suum subiectum a materia depurare, seu, ut vulgo Scholae loquuntur, *abstrahere*. Nam Zenonii nullam scientiam geometria exactius materiam tractare existimabant; nempe materiam, quam ei meram suppeteret metaphysica, hoc est extensionis virtutem. Neque Aristotelis contra Zenonios demonstrationes super punctis metaphysicis tantam apud ejus asseclas haberent auctoritatem, nisi Stoicis punctum geometricum signum ad instar metaphysici, & punctum metaphysicum corporis physici virtus esset. Uti nec Pythagoras, ejusque asseclae, e quibus ad nos pervenit apud *Platonem Timaeus*, quum de naturae rebus per numeros differuerunt, naturam vere ex numeris constare arbitrati sunt: sed Mundum, extra quem essent, explicare per Mundum, quem

quem intra se continerent, studuerunt. Idem de Zenone ejusque secta judicium faciendum, qui puncta rerum principia esse existimarunt. Et vero ex omni memoria quatuor Philosophorum classes condi possunt: alii enim Geometrae eximii, qui de Principiis Physicis per mathematicis hypotheses differuerunt; atque in his est Pythagoras; alii Geometria bene instructi, metaphysicaeque cultores seduli nulla hypothesi de principis rerum cogitarunt; & iccirco de naturae rebus metaphysico genere differunt; atque in his est Aristoteles: alii & geometriae ignari, & metaphysicae hostes simplex corpus extensum in materiae usum adornarunt; & hi in principiorum explanatione gravissime tanquam in limine offendunt, at felicius tamen de peculiaribus naturae phaenomenis cogitarunt; atque in

## DE PUNCTIS.

*Idem de Physica  
Zenonia*

*Quatuor Philo-  
sophorum classes.*

*Prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

DE PUNCTIS.

*Quarta.*

in his est Epicurus: alii denique corpus quantum & quale principia rerum esse voluerunt; ut ex antiquis, qui terram, aquam, aërem, ignem, vel singula, vel vel bina, vel cuncta; & ex neotericis Chemicis. Sed hi nihil quicquam pro dignitate de principiis differunt: & ex eorum principiis explicationes peculiarium naturae rerum, praeterquam in paucis, quas periculum magis quam consilium obtulit, feliciter succedunt. Zeno summus metaphysicus ad Geometrarum hypothesen accessit: & uti Pythagoras per numeros, is per puncta de principiis rerum commentatur. Carthesius vero maximus ex aequo metaphysicus, & Geometra accessit ad Epicurum: & quae in principiis offendit de motu, & formatione elementorum, omnibus plenius, uti Epicurus offensiones de vacuo,

*In qua classe  
Zeno.**In qua Renatus*

DE PUNCTIS.

cuo, & atomi declinatione, successu rerum peculiarium feliciter explanatarum compensat.

An eorum ratio sit, quod uterque figura, & machina de naturae rebus differunt: & peculiarium naturae effecta formata & mobilia sunt: de principiis autem, & virtutibus, quia in formibus nulla figura, quia indefinitis machina nulla est? Atque haec haecenus ad sententiae Zenoniae declarationem, auctoritatemque dicta sint. Nunc propria rei propositae argumenta exponamus. Quaelibet minima extensae rei particula in infinitum diduci, Aristoteles geometricis demonstrationibus evincit. Sed Zeno ad eas imperturbatus constat, iisque ipsis sua metaphysica puncta confirmat. Hujus enim rei physicae virtutem in metaphysica dari oportet: alioqui quo pacto Deus omnium perfectio-

*Cur Epicurus,  
& Renatus offendunt in principiiis Physicis,  
& feliciter procedunt.*

*Aristotelis demonstrationes Zenonem latitante, anjuvent.*

*Deus omnium perfectionum cumulatur.*

DE PUNCTIS.

num sit cumulus? extensa quidem in natura sunt; in Deo quid extensum memorare nefas: extensum metimur; infinitum dimensionem indignatur. Extensi vero virtutem *eminenter*, ut nostri Theologi loquuntur, in Deo contineri fas omnino est. Igitur quo pacto conatus virtus movendi est, & in

*Conatus in Deo  
quies, extensio-  
nis virtus in  
Deo mens.*

Deo conatus auctore quies; ita prima materia est extensionis virtus, quae in Deo, materiae conditore, purissima mens est. Est igitur in metaphysica substantia, quae indefinitae extensionis divisionis est virtus. Divisio physica res est: virtus ut res dividatur metaphysicum argumentum: divisio enim actus corporis est: at essentia corporis, uti & ceterarum rerum, in indivisibili consistit: atque id adeo Aristoteles fateri debet, qui docet. Itaque mihi videtur de alio Aristoteles cum Zeno-

*De alio Aristoteles cum Zeno-  
ne contendit, in  
idem convenit.*

ne contendere, in idem autem DE PUNCTIS. convenire. Nam ille de actu, hic loquitur de virtute. Et quum Aristoteles divisionem partium in infinitum demonstratione diagonalis, quae in iisdem punctis cum laterali secaretur, quae duae lineae ejusdem sunt impatientes mensurae, urget; jam tum non dividit punctum, sed quid extensum, nam designat. At ea ipsa demonstratio, uti & aliae de circulis concentricis, qui in omnibus suis punctis cum centro secarentur, & de parallelis, quae obliquae ad horizontem ductae, quam perpendicularem intersectarent nunquam totam dividerent, & ejus generis aliae, ex puncti definitione, cujus nulla pars est, stabilitae proveniunt. Neque haec mira nobis sunt demonstrata per Geometriam, in cujus definitionibus punctum minima diceretur esse particula in

*Aristotelis demonstrationes  
contra puncta  
metaphysica ex  
puncti geometrici  
definitione  
proveniunt.*

DE PUNCTIS.

immensum dividua; sed per quam punctum constituitur individuum, & a puncto ita definito ad haec mira demonstrata pervenitur. Quapropter Zeno per eas demonstrationes in sua sententia se obfirmat potius; tantum abest ut confutetur. Quemadmodum enim in hoc Mundo formarum, quem homo sibi confingit, & cujus homo quodammodo Deus est, hoc definitum nomen, haec res commenticia, cujus nulla pars est, ex aequo iniquis extensis subest; ita & ad hoc instar in Mundo vero, quem Deus condidit, est quaedam individua virtus extensionis, quae, quia individua est, iniquis extensis ex aequo sternitur. Atque adeo virtutes sunt indefinitae; & quia indefinitae, de iis illa *tot*, & *quot* proloqui non datur; illa *plura*, *minora* cogitare non licet; illa *magis* & *minus* indignantur.

At-

*Zeno ex geometria metaphysicam in physicam deductam contemplatur*

*Virtus extensivis individua; & ob id iniquis extensis aequa sternitur.*

DE PUNCTIS.

Atque eae ipsae demonstrationes, quae id evincunt, conficiunt quoque conatum, seu movendi virtutem, utpote rem metaphysicam iniquis motibus aequum subesse. Et principio multo magis decet expeditissimam Divinae Omnipotentiae facilitatem, quod is crearet materiam, quae esset virtus extensionis & motus simul, quam duplici opera altera materiam, altera motum creasse. Et bona metaphysica id suadet; cum enim conatus quid non sit, sed cujus, nempe materiae modus; eadem creatione materiae eum creatum necesse est. Id ipsum Physicae convenit: extante enim natura, seu ut Scholae dicunt, *in facto esse*, omnia moventur: antequam extaret, omnia in Deo quiescebant: igitur natura conando coepit existere: sive conatus *natura*, ut Scholae quoque loquuntur *in fieri* est. Conatus

*Conatus iniquis motibus aequus subest.*

*Conatus des puncti.*

*Natura conando coepit existere.*

## DE PUNCTIS.

*Conatus inter  
quietem & mo-  
tum medius.*

*Punctum medi-  
um inter Deum  
& extensa.*

*Deus quietus.  
Materia cona-  
tur.  
Extensa moven-  
tur.*

natus enim quietem inter & motum est medius. In natura res extensae sunt: ante omnem naturam, res omnem extensionem indignans, Deus: igitur Deum inter & extensa est media res, inextensa quidem, sed capax extensionis, nempe metaphysica puncta. Neque vero aliunde summo inter se commensu, seu, ut dicunt, *proportionis* haec sibi respondent: hinc quies, conatus, motus: atque hinc Deus, materia, & corpus extensum. Deus omnium motor in se quietus: materia conatur; corpora extensa moventur: & ut motus est modus corporis, quies Dei attributum; ita conatus dos puncti metaphysici est: & uti punctum metaphysicum est indefinita virtus extensionis, qua iniquis extensis aequa subest; ita conatus indefinita virtus movendi est, quae iniquos motus ex aequo

EX.

## DE PUNCTIS.

*Ratio eorum,  
quae cogitat Re-  
natus de reflexione, ac re-  
fractione motus.*

explicat. Renatus tanquam fundamentum eorum omnium, quae de motuum reflexione, ac refractione praeclarissime cogitat, illud substruit, quod motus ab ejusdem determinatione sit alius; itaut sub eodem determinationis modo, seu *quantitate*, ut dicunt, plus motus fieri possit. Unde illud conficit, plus motus esse in determinationibus obliquis, quam rectis. Atq; hinc referat rationem, quare corpus obliqua motu duabus causis uno eodemque tempore satisfaciatur; alteri sui ponderis, qua recta deorsum fertur; alteri directionis, qua obliqua tendit ad horizontem: & ita ubi in planiciem omnino imperviam incidit, uno eodemque tempore ambarum det effecta causarum, & reflectat ita motum, ut angulus reflexionis angulo incidentiae aequus sit: sin in planiciem incidat perviam, motum

re-

DE PUNCTIS.

refrangat, & pro majori mino-  
 rive medii fluxitate, per quod  
 decurrit, propius longiusve  
 abeat a perpendiculari, quam, si  
 per medium unitusmodi per-  
 vium deferretur, describeret.  
 Videt quidem verum illud Re-  
 riatum, sub eodem determina-  
 tionis modo plus motus fieri  
 posse; rationem autem dissimu-  
 lat, quia juxta sentit cum Ari-  
 stotele contra Zenonem: dissim-  
 ulat, inquam, quod uti dia-  
 gonalis, & lateralis aequa subest  
 virtus extensionis; ita motui  
 recto, & obliquo ad orizontem  
 aequa virtus quoque subest mo-  
 vendi. Harum rerum omnium,  
 quae haecenus differuimus, ra-  
 tio ea est, aut ego fallor, quia  
 puncta, & conatus sunt, per  
 quae primum res ex sui nihi-  
 lo existere occipiunt: & a nihi-  
 lo minima, & ingentia ex aequo  
 distant. Et ea ratione Geome-  
 tria a Metaphysica suum ve-  
 rum

*A nihilo mini-  
 ma, & ingentia  
 ex aequo di-  
 stant.*

DE PUNCTIS.

rum accipit, & acceptum in ip-  
 sam Metaphysicam refundit:  
 hoc est ad scientiae divinae in-  
 star humanam exprimit, & ab  
 humana divinam rursus confir-  
 mat. Qua cum re ut apte haec  
 omnia congruunt! tempus di-  
 viditur; in individua re stat ae-  
 ternitas: nisi alia moveantur,  
 non habes quæ metiri possis  
 quietem: quare animi pertur-  
 bationes minuuntur, augentur;  
 tranquillitas nescit gradus: ex-  
 tensa corrumpuntur; immorta-  
 lia indivisibili constant: corpus  
 divisiones patitur; mens par-  
 tium impatiens: in puncto op-  
 portunitas; undique circum-  
 stant casus: verum praecisum  
 est; undique falsa obvia: scien-  
 tia enim non dividitur, opinio  
 sectas gignit: virtus nec ultra  
 nec citra; vitium longe late-  
 que patet: rectum unum; pra-  
 va innumera: optimum in quo-  
 que rerum genere in individua  
 re

*Diviso malum,  
 bona individua  
 sunt.*

DE PUNCTIS. re collocatur. Atque adeo Mundus physicus est de imperfectis, & rebus in indefinitum divi-  
 duis; Mundus metaphysicus de ideis, seu rebus optimis, nempe de individuis virtutibus,

*Est in metaphysica genus rerum inextensum extensionis capax.*

*Cartesius analysim in physicam infert.*

*Zeno per synthesim physicam spectat.*

*Aristoteles metaphysicam nulla hypothesis in physicam importat.*

*Renatus physicam in metaphysicam extulit.*

quae efficaciae sint indefinitae. Est igitur in Metaphysica genus rerum quod extensum non est, est tamen capax extensionis. Non id videt Cartesius, quia Analyticorum more materiam creatam ponit, ac dividit. Vidit autem Zeno, quia a Mundo formarum, quem homo sibi per synthesim e punctis condit, de mundo solidorum, quem Deus creaverat, differere studuit. Non vidit haec Aristoteles, quia metaphysicam recta in physicam intulit: quare de rebus physicis metaphysico genere differit per virtutes & facultates. Non vidit Renatus, quia recta physicam in metaphysicam extulit, & de rebus

me-

metaphysicis physico genere DE PUNCTIS. cogitat, per actus, ac formas. Utrumque vicio vertendum: *De rebus physicis metaphysicis de metaphysicis physico genere corrigere, viciosum.* nam si definire est rerum fines dirigere, & fines sunt formarum extrema, & formata omnia a materia per motum educuntur, ac proinde naturae jam extanti accepto sunt referenda; & incivile est, extante jam natura, ex qua jam actus habemus, definire res per virtutes; & antequam natura existat, & res formatae sint, eas describere per actus, importunum. Metaphysica physicam transcendit, quia de virtutibus agit, & infinito: Physica metaphysicae pars, quia de formis agit, ac terminatis. Quo autem pacto infinitum in haec finita descendit, si vel Deus id nos doceret, assequi non possemus: quia id *Quo pacto infinitum in haec finita descenderit comprehendi non potest.* verum mentis divinae est, quod & nosse, & fecisse idem. Mens autem humana finita est, & formata;



DE PUNCTIS.

mata; ac proinde indefinita, & informia intelligere non potest, cogitare quidem potest: quod vernacula lingua diceremus: *può andarle raccogliendo, ma non già raccorre tutte*. Sed id ipsum cogitare fateri est, quae cogitas informia esse, & fines habere nullos. Et ob id ipsum distincte cognoscere humanae mentis vitium potius quam virtus est: nam est cognoscere fines rerum. Mens divina in suae veritatis sole res videt: hoc est dum res videt, infinitas res cum re, quam videt, cognoscit: mens humana, quum distincte rem cognoscit, eam noctu cum lucerna videt, quam dum videt, adlita aspectu amittit suo. Doleo enim, neque doloris formam agnosco ullam; nullos aegritudinis animi agnosco fines: cognitio indefinita; & quia indefinita, homine digna est: vivida doloris idea est, & illustris, ut

*Distincte cognoscere humanae mentis vitium.*

ni-

nihil magis. Sed haec metaphysici veri claritas eadem est numero ac illa lucis, quam non nisi per opaca distinguimus: metaphysica enim vera illustra sunt, quia nullo fine concludi, nulla re formata distingui possunt: physica autem sunt opaca, quibus metaphysicarum rerum lucem distinguimus. Haec

lux metaphysica, sive, ut Scholae loquuntur, deductio virtutum in actus, citra inversa verba, vero conatu gignitur, hoc est indefinita virtute movendi, quae iniquis motibus aequa subest: quae dos est puncti seu indefinitae virtutis, quae quid porrigitur, & iniquis extensis ex aequo sternitur.

DE PUNCTIS.  
*Metaphysici veri claritas eadem ac lucis.*

*Lux metaphysica, seu deductio virtutum in actus conatu gignitur.*

G

Ex-

## Extensa non conari.

## §. II.

*Extensorum vel  
conatus nullus  
omnino est;*

*Vel verissimus  
motus est;*

**N**Am sane extensa non videntur quicquam conari posse, five omnia plena sint ex uno genere corporum, quae aequa vi mutuo sibi obsistant; nam in aequa obsistentia rerum, & plenis omnibus, virtus movendi excitari non potest; five sint plena omnia ex diversis corporum generibus, quorum alia obsistant, alia loco cedant; nam in iis verissimi motus fiunt. Nec vero, si brachio velim parietem percurrere, conatus est; cum ea sit vera nervorum motio, qua ex remissis intenti fiunt: non aliter vere movetur piseis, qui ripae se applicat, & adversae profuenti resistit. Nam ad eam tentiorem alii atque alii spiritus animae-

## Sive Metaphysicus. 75

males succedunt, ac proinde **EXTENSA NON**  
verus sit motus, donec non succedentibus porro aliis, nervi languescant ac remittantur. Et ex genere, si conatus est virtus movendi, qua pollent extensa, impedita, an, ut maxime impedita sit, aliquo pacto explicatur tamen? an omnino explicari nunquam potest? si quo tamen pacto explicatur, is verissimus motus est; sin autem nullo pacto explicari potest, quod hoc vis genus est, quae semper sit irrita? cum vis fieri nulla possit, quin quo momento sit, explicetur; ut quod vim facit tantum intendatur, seu moveatur. Quare si naturae effecta omnia percurramus, ea motu, non conatu nasci comperiemus. Vel ipsam **Lucem vero motu gigni.**  
lucem, quae temporis momento diffundi videtur, Physici optimae notae docent, temporis successu fieri & vero motu. Atque utinam lux instanti fieret,

EXTENSA NON  
CONARI

ret, ut ex puncto luculentissimum naturae opus natum haberemus. Etenim si lux instanti temporis gignitur, dari id puncti effectus in natura necesse est. Nam instans temporis loci punctum affectatur. Igitur si lux est directio orbiculorum, quae in instanti fiat, orbiculi haud possunt in una sui parte dirigi, quae extensa sit. Nam extensa sunt extremis determinata; extrema mediis dissita; extrema autem, & media tempore & vero motu percurruntur. Itaque quo lux conatu, & temporis instanti gignatur, orbiculi in punctis, quorum nulla pars sit, dirigi debent. En res in natura esset, quae nullam haberet extensionem. Sed enim ista puncta, in quibus diffundi lucem, oboriri tenebras dicunt, sunt nimis corpulenta; nec pro gracili geometriae ingenio exinanita, sive potius ex metaphysicae

EXTENSA NON  
CONARI

ficae subtilitate extensione omni spoliata. Quare extante jam natura, ubi sunt diversi generis extensa, quorum alia dura alia pervia, nulli sunt conatus, sed veri motus. Itaque naturae jam extantis phaenomena non virtute & potestate explicare par est. Jam enim meliorum virtute Physicorum illud differendi genus per studia, & aversiones naturae, per arcana ejusdem consilia, quas qualitates occultas vocant, jam, inquam, sunt e Physicis scholis eliminata. Superest ad huc ex metaphysica id conatus vocabulum. Quare quo differendi genus de rebus physicis omnino perficiatur, e Physicorum scholis est ad metaphysicos amandandum. Nos autem haec ad extremum conficiamus. Natura est motus; hujus motus indefinita movendi virtus conatus; quam excitat infinita mens

Naturae effectus  
virtute & potestate  
explicare  
Physicos dedecetConatus vocabulum  
e physicis  
scholis ad metaphysicas  
amandandum.Natura motus  
est: Principium  
motus conatus;  
Excitator cognatus  
Deus,

EXTENSA NON in se quæta, Deus. Naturæ  
CONAR. opera motu perficiuntur, cona-  
tu incipiunt fieri: ut rerum ge-  
neses motum, motus conatum,  
conatus Deum sequatur.

*Motus omnes compositos.*

§. III.

Compositæ rei modum  
compositus mo-  
dus.

U. Figura.

Locus.

Tempus.

Compositæ rei modum  
compositum esse necesse  
est. Nam si modus res ipsa est  
ita se habens, & res extensa par-  
tes habet; modus rei extensæ  
sunt plures res, quæ ita dispo-  
nuntur. Et vero figura modus  
compositus est, nam tribus mi-  
nimum lineis constat: modus  
compositus locus, nam tri bus  
constat dimensionibus: modus  
compositus situs, is enim est  
plurium locorum ratio: modus  
compositus tempus, nam duo  
loci sunt, quorum alter stat, al-  
ter movetur, Quod & ipsum  
no-

norunt Auctores latine lin-  
guæ, quibus promiscuus parti-  
cularum usus, & quibus locus  
& quibus tempus significatur:  
ut illa *ibi pro tunc, inde pro  
postea, usquam, nusquam pro  
unquam nunquam*, & si quæ  
sunt ejus generis aliae. Ad hæc  
exempla compositus motus,  
nam *unde, qua, & quo* constat.  
Tum quia omnes motus æris  
circumpulsu fiunt, simplices,  
rectique esse nullo pacto pos-  
sunt. Et quod corpora, sive per  
aërem decidentia, sive per æ-  
quor sive terræ, sive maris pro-  
gredientia, lineam rectam de-  
scribere videantur, ea tamen re-  
ipsa recta non est. Nam *rectum*,  
& *idem* res metaphysicæ sunt.  
Idem ipse mihi videor; sed pe-  
renni accessu & decessu re-  
tum, quæ me intrant, a me  
exiunt, quoquo temporis mo-  
mento sum alius. Sic quoque  
rectus qui videtur motus,  
omni

MOTUS OMNES  
COMPOSITOS.

*Promiscuus la-  
tinis loci ac  
temporis parti-  
cularum usus.*

*Motus.*

*Motus nullus  
rectus.*

*Rectum, & idem  
res metaphysicæ,  
res physicæ  
præter, et aliud*

MOTUS OMNES  
COMPOSITOS.

*Ut curva linea  
ex innumeris re-  
ctis, ita motus  
ex indefinitis co-  
natibus constat.*

*Nullus motus  
in vano, quia  
nulla in vano  
vicinia,*

omni temporis momento pra-  
vus est. At si quis haec ex geo-  
metria spectet, facile metaphy-  
sica cum physicis componet.  
Nam ea una est verior hypo-  
thesis, qua ex metaphysica in  
physicam descendamus. Ut  
enim pravae lineae componun-  
tur ex rectis; quare circulares  
ex indefinitis rectis constant,  
quia constant punctis indefini-  
tis; ita compositi extensorum  
motus ex simplicibus puncto-  
rum conatibus componuntur.  
Prava sunt in natura & imper-  
fecta, supra naturam rectum,  
pravorum regula. Sed exten-  
sorum conatus ad rectos motus  
hodie eo firmatur, quod si cor-  
pus libere, hoc est per non ob-  
stantia moveretur, recta qui-  
dem & in immensum move-  
retur. Sed id fingere primo  
prohibet, quod qui id fingunt  
motum definiunt viciniae cor-  
porum mutatione. Quenam  
au-

autem vicinia in vano? Dixe-  
rit quis viciniam loci, unde pri-  
mo motum est corpus, spectan-  
dam esse. Sed si id spectetur,  
quo pacto illud *immensum*? An  
in immenso quid vicinius, quid  
longius? Si iste id fateatur,  
quid a Scholastico distat, qui  
*spacia imaginaria* proponit.  
Nam ejusdem mentis est ab ul-  
tima summi coeli superficie ima-  
ne spaciū imaginari; & con-  
fingere a loco unde primo cor-  
pus motum est, id longius lon-  
giusque per immensum inane  
promoveri. Deinde id fingere  
natura omnino non patitur.  
Etenim ideo constant corpora,  
quia moventur in pleno; & ideo  
plus minusve constant, quia  
plus minusve obsistunt aliis,  
ipsisque ab aliis obsistitur. Quae  
obsistentia nisi sit, nedum non  
moveretur, neque recta, ne-  
que adeo in infinitum; sed  
ut, si ex loco subduceretur  
omnis

MOTUS OMNES  
COMPOSITOS.

*Idem est fingere  
corpus per inane  
moveri, & spa-  
cia imaginaria  
comminisci.*

*Ideo constant  
corpora, quia  
moventur in pla-  
no.*

MOTUS OMNES  
COMPOSITOS.

Nihil & recte  
cum latinis oppo-  
sita.

omnis contentus aër, loci pa-  
rietes compingerentur, ita cor-  
pus in inane e ductum dissipa-  
retur. Norunt id verum sapien-  
tes linguae latinae Auctores,  
recta metaphysica, physica pra-  
va esse; cum latini religionis  
caussa nihil ab opposito recte  
dicant: quasi nihilo opponatur  
rectum, exactum, perfectum,  
infinite; & finita, prava, im-  
perfecta sint pene nihil.

*Extensa inquieta.*

§. IV.

Quies res meta-  
physica est, phy-  
sica motus.

**Q**uies res metaphysica est,  
physica motus. Et finge-  
re corpus ex se inte-  
grum, seu, ut ajunt, indiffe-  
rens ad movendum quiescen-  
dumque, id Physica non finit.  
Neque enim licet fingere quid  
in natura, & extra naturam si-  
mul. Natura enim motus est,  
quo

EXTENSA IN-  
QUIETA.

Compositum esse  
moveri est.

Vita rerum sua  
minis instar.

Forma physica  
est continens rei  
mutatio.

quo res componuntur, vivunt,  
dissolvunturque: & in omni  
temporis momento aliud no-  
biscum componitur, aliud a no-  
bis dissolvitur. Quare compo-  
situm esse moveri est. Motus  
enim est viciniae seu situs mu-  
tatio: nunquam nō corpora cor-  
poribus vicina situm mutant:  
semper corpora effluunt, sem-  
per influunt: & haec est vita re-  
rum, fluminis nempe instar,  
quod idem videtur, & semper  
alia atque alia aqua profluit.  
Quare nihil in natura hanc cor-  
porum viciniam, seu eundem  
situs, vel momento quidem  
temporis obtinet. Et illud pla-  
citum, quod res pergant obti-  
nere formam, qua semel prae-  
ditae sunt, Scholas decet, quae  
ista tutoria naturae consilia in  
rerum naturalium causis ha-  
bent. Nam sane quae cujusque  
rei naturalis propria forma est,  
cum omni temporis momento  
ei

EXTENSA IN-  
QUIETA.*Perfecta quies  
in natura non  
est.*

ei accedat aliquid, vel decedat?  
Quare forma physica nihil  
aliud nisi continens rei muta-  
tio est. Igitur ista perfecta quies  
omnino e physica est procul eli-  
minanda.

*Motus incommunicari.*

## §. V.

*Motum commu-  
nicari, penetra-  
ri corpora est.**Motus commu-  
nicatio, et at-  
tractio eadem  
videtur.*

**M**OTUS nihil aliud est nisi  
corpus quod movetur;  
ac, si pro severiori metaphysi-  
ca loqui velimus, non tam quid  
est quam cuius. Nam modus  
corporis est, qui a re, cuius est  
modus, nec mente quidem se-  
cernitur. Quare tantundem est  
motum communicari, quantum  
corpora penetrari. Nec sane mi-  
nori reprehensione dignum vi-  
detur hoc placitum, motum a  
corpore in corpus communica-  
ri, quam illud de attractioni-  
bus, motibusque, qui ob ha-

gam

MOTUS IN-  
COMMUNICARI.

gam vacui vulgo Scholarum  
obtinere: nam tantundem mihi  
videtur, corpus projectum se-  
cum ferre omnem manus pro-  
jicientis impulsum, quantum  
aërem in antlia haustum post  
se aquam sursum attrahere.  
Jam virtute Physicae melioris  
per praeclarissima experimenta  
isthae attractiones veri aëris  
circumpulsus comperti sunt: &  
in id placitum constantissime  
itur, motum omnem impulsu  
nasci. In hos scopulos impin-  
git, qui extensa quaedam quie-  
scere putet. Sed qui omnia pe-  
renni motu moveri, & nullam  
esse in natura quietem intelli-  
git, is corpus, quod quiescere  
videtur, manus impulsu non  
excitari ad motum, sed ad  
aliud motum determinari; nec  
nostrum esse movere quicquam,  
sed Deum omnis motus autho-  
rem, eumque excitare conatum;  
conatum autem incipere mo-

*Omnis motus  
impulsu nasci-  
tur.**Deus omnis mo-  
tus auctor.*

H no-

MOTUS IN-  
COMMUNICARI.

In nobis est mo-  
tus determina-  
tio.

Communis om-  
nium motuum  
machina aëris  
circumpulsio.

Motus commu-  
nis aëris, ut eva-  
dit cujusq; pro-  
prietatis.

Omnes motus ex  
impulsu locali,  
& unius modi.

tum; motus vero in nobis esse  
determinationem; ac deter-  
minationes alias ex alio machi-  
narum genere fieri; & commu-  
nem omnium motuum machi-  
nam aërem, & circumpulsionem  
esse sensibilem Dei manum, qua  
omnia moventur; singula vero  
quaeque aliter atque aliter mo-  
veri, peculiari machina quod-  
que sua conficiet. Et si omnis  
motus localis est, & impulsu na-  
scitur, nullum sane discrimen  
admiserit motum inter, quo  
aqua syphonem subit, quae  
omni procul dubio aëris manu  
in syphonem effertur, & quo  
projecta per patentem aërem  
promoventur. Quin nec inter  
projectorum motum, & motum  
quo flamma ardet, planta ado-  
lescit, bestia per prata lascivit,  
quicquam differre iudicabit.  
Omnes enim sunt aëris circum-  
pulsus: & uti peculiarium ope  
machinarum communis aëris  
mo-

MOTUS IN-  
COMMUNICARI.

motus, motus flammae, plan-  
tae, bestiaeque fit proprius, ita  
evadit proprius projectorum.  
Certe calor, quem pila promo-  
tu concipit, ei non est a manu  
communicatus: & tamen is ca-  
lor certo certius est pilae pro-  
prius. Quid autem calor nisi  
motus? Igitur manus est ma-  
china peculiaris projectus, qua  
& determinantur nervi, qui  
sunt in motu ad manus inten-  
tionem; & determinatur cor-  
pus, quod est in motu ad aliter  
se movendum; & determinatur  
aër circumfusus, qui in motu  
quoque est, ad promovendum  
projectum: & haec machina  
communis, nempe aëris circum-  
pulsio, evadit propria corporis  
projecti: quare proprius ejus  
est calor, & saepe ignis.



*De Animo, & Anima.*

## C A P. V.

Anima vivi-  
mus.  
Animo senti-  
mus,

Aër anima di-  
vis.

Aër sanguinis  
vitae vehiculum

**E**legantia dum horum  
verborum *animus*, & *ani-  
ma*, quod *anima vivamus*, *ani-  
mo sentiamus*, tam scita est, ut  
*T. Lucretius* eam veluti in *Epi-  
curi* hortulo natam vindicet  
suam. Sed & observandum lati-  
nos *animam* quoque *aërem* ap-  
pellasse, quem omnium mobi-  
lissimum esse constat: & nos su-  
pra differuimus, unum esse, qui  
motu omnibus communi mo-  
vetur, & deinde peculiarium  
ope machinarum evadit cujus-  
que proprius. Hinc igitur con-  
ficere datur, antiquos Italiae  
Philosophos, aëris motu ani-  
mum, & animam definivisse.  
Et vero vitae vehiculum aër  
est, qui inspiratus, & transpi-  
ratus, cor & arterias, & in cor-  
de

*Sive Metaphysicus.* 89

de arteriisque sanguinem mo-  
vet, qui sanguinis motus est ip-  
sa vita. Sensus autem vehiculum  
est aër, qui per nervos insinuatus  
eorum succum agitat, & fibras  
distendit, inflat, contorquet.  
Nunc in scholis aër, qui in cor-  
de & arteriis sanguinem mo-  
vet, *spiritus vitales*; qui autem  
nervos, eorumque succum, &  
filamenta, *spiritus animales* ap-  
pellantur. Atqui longe celerior  
est animalis, quam vitalis spiri-  
tus motus: ubi enim velis, sta-  
tim digitum moveas: sed mul-  
to tempore, saltem horae trien-  
tis, ut quidam Physici rationem  
incunt, a corde ad digitum san-  
guis circulatione perveniat. A  
nervis praeterea cordis muscu-  
li contrahuntur, & dilatantur,  
qua systole, & diastole sanguis  
perpetuo movetur: unde san-  
guis suum nervis motum acce-  
pto referre debet. Igitur hunc  
masculum strenuumque per

DE ANIMO,  
ET ANIMA.

Aër nervorum  
vehiculum sen-  
sus.

*Spiritus vitalis  
inferior, anima-  
lis actuosior,*

*Motus sangui-  
nis nervis debet-  
ur.*

DE ANIMO,  
ET ANIMA.Animus im-  
mortalis non  
anima latinis  
dicta.

nervos aëris motum, *animam*; effœminatum & succubum, ut ita dicam, in sanguine, *animam* dixerunt. Cum autem de *immortalitate* Latini loquebantur, eam *animorum*, non animarum dicebant. An ejus locutionis origo sit, quia ejus auctores animi motus liberos & ex nostro arbitrio; motus autem animae non sine corporis, quod corrumpitur, machina gigni animadverterent: & quia libere animus movetur, infinitum desiderat, ac proinde immortalitatem. Quae ratio tanti momenti est, ut Metaphysici etiam Christiani hominem per arbitrii libertatem a brutis distingui putaverint. Certe Ecclesiae Patres hominem immortali animo factum, & propter Deum immortalem factum, hinc praecipue confirmant, quod appetit infinitum.

*De**De Anima Brutorum.*

## §. I.

Congruit cum his, quae modo differuimus, ea locutio, qua Latini animantia rationis expertia dixerunt *bruta*: brutum autem iisdem idem ac immobile significabat: & tamen *bruta* moveri videbant. Necessè igitur est, antiquos Italiae Philosophos id opinatos, *bruta*, quod non nisi a praesentibus moveantur, ea immobilia esse, & ab objectis praesentibus, veluti per machinam moveri: homines autem principium internum motus habere, nempe animum, qui libere moveatur.

Brutum Latinis immobile.

Bruta a praesentibus objectis, tanquam machina moventur.

*De*

## De Animi sede.

## §. II.

**A**nimi sedem & domicilium antiqua Italiae Philosophia cor esse opinata est:

*Latini in corde Prudentiam collocarunt.* nam latini vulgo in corde prudentiam collocatam, & in corde versari consilia, & curas, & in pectore inveniendi acumen, seu ut *Plautine* loquar, *e pectore*

Acetum pectoris.

Cor hominis.

Excors.

Vecors.

Cordatus.

Corculum.

*De nervorum origine antiquorum opinio.*

*re acetum*, hoc est ingenium promi loquebantur: & illae praeterea locutiones, *cor hominis*! & *excors* pro stupido, *vecors* pro demente, *vecors* pro tardo ad cogitandum; contra *cordatus* pro sapiente: unde P. Scipio Nasica *Corculum* dictus, quia Romanorum omnium sapientissimus oraculi sententia judicatus. An haec quia cum reliqua antiquitate Italica secta consenserit, a corde nervorum ori-

## Sive Metaphysicus. 93

originem duci? Et quod nobis videamur in capite cogitare, quia in capite sunt organa duum sensuum, quorum alter est omnium maxime disciplinabilis, nempe auditus; visus alter, qui omnium est maxime acerrimus? Sed de origine nervorum a corde opinio per nostri temporis Anatomen jam falsa comperta est: ii enim a cerebro tanquam a stirpe per totum corpus diffundi observantur. Quare in glandula pineali animum humanum veluti in specula Carthesiani collocant, & inde omnes corporis motus per nervos excipere, & per motus objecta speculari opinantur. Atqui saepe homines cerebro deminuti, & vivere, & moveri, & sentire, & ratione feliciter uti observatum. Sed & in corporis parte, ubi plurimum mucoris, sanguinis minimum, ac proinde crassa tardaue sedere animum veri-

DE ANIMI SEDE.  
*Cur videamur in capite cogitare.*

*An sedes animae in glandula pineali.*

*Homines cerebro deminuti rebus usitatione.*

DE ANIMI SE-  
DE.*Mechanica re-  
fragatur, men-  
tem in capite  
corpori praeside-  
re.**In plantis vi-  
tae sedes in se-  
mine.**Cor primum ge-  
neratur, novis-  
simum interit.**An in corde  
principium vi-  
tae, & in prin-  
cipio vitae prin-  
cipium rationis?**Animo defice-  
re, male habe-  
re.**Sapiens quis,*

verisimile non videtur. Mecha-  
nica enim in horologio docet,  
rotas, quas spiritus proxime  
movet, omnium tenuissimas ac  
mobilissimas esse: & in plantis  
vitae sedes in semine est, & in-  
de per truncum in ramos, & per  
stirpem in radices diffunditur.  
An igitur, quia cor primum  
omnium in generatione ani-  
mantis extare, salire, ultimum  
in morte motu & calore desti-  
tuit observabant? An quia in  
corde vitae flammam ardere  
opinarentur? An quia cum quis  
deliquio intercipitur, qui cor-  
dis morbus est, quem nos Ita-  
li vertimus, *svenimento di cuo-  
re*, non solum nervorum, sed  
etiam sanguinis motum cessare  
viderent, eum *animo deficere*,  
& *animo male habere* putarent,  
ac dicerent? & in corde prin-  
cipium animae, seu vitae, & in eo  
principium animi, seu rationis  
esse arbitrarentur? An quia sa-  
piens

plense est qui vera cogitat, & ju-  
sta vult, hinc in affectibus ani-  
mum, in animo mentem posue-  
runt, quam proinde *mentem*,  
*animi* appellaverunt? Certe fo-  
mites omnium animi perturba-  
tionum, seu affectuum sunt  
concupiscibilis, & irascibilis ap-  
petitus: & sanguis concupi-  
scientiae, bilis irae vehiculum  
esse videtur; utriusque liquoris  
sedes in praecordiis praecipua.  
Itaque ab animo pendere men-  
tem putarint, quia ut quisque  
est animatus ita cogitat: de  
iisdem enim rebus pro diversis  
studiis alii aliter sentiunt. Ut  
tutior cautio sit ad vera medi-  
tanda exuere affectus rerum pe-  
ne dixerim, quam praepudicia:  
praepudicia enim nunquam de-  
leas, manente affectu: at affectu  
relincto, detrahitur rebus per-  
sona, quam iis nos imposuimus,  
& ultro res ipsae manent.

DE ANIMI SE-  
DE.*Mens animi.**Fomites affe-  
ctuum appetitus  
duo.**Appetituum se-  
des & vehicula.**Ab animo pen-  
dere mentem.**Utra tutior cau-  
tio ad vera me-  
ditanda, affe-  
ctus exuere, an  
praepudicia.*

## De Sceptis Civili Romanorum.

## §. III.

Formulae censendi, judicandi, jurandique Romanorum,

**A**N ideo Romani suas, sententias per verba *videri, parere*, & juramenta *ex animi* quisque *sui sententia* concipiebant: quia neminem de se animum affectu vacuum praestare, posse arbitrabantur; & judicandi, ac jurisjurandi religio erat, ne, rebus aliter se habentibus, pejerarent?

## De Mente.

## CAP. VI.

**M**ens latinis idem quod nobis *pensiero*: & ab iisdem *mens* hominibus *dari* & *admitti* dicebatur. Par igitur est ut qui has locutiones excogitarint, ideas in hominum animis a Deo creati excitarique sint opinati; ac proinde *animi mentem* dixerint; & ad Deum liberum jus & arbitrium animi motuum retulerint, ut *libido*, seu facultas quaeque desiderandi sit *suus cuique Deus*. Qui peculiaris cujusque Deus *Intellectus agens* Aristotelaeorum, *Sensus aethereus* Stoicorum, & Socraticorum *Daemon* esse videatur. Qua de re subtilissimi hujus tempestatis Metaphysici multa ingeniosissime disserant. Verum si haec acerrimus Malebrancius vera

Mens latinis idem ac nobis pensiero.

Mentem a Diis dari.

Ideas a Deo in hominum animis creati.

Mens animâ.

Intellectus agens Aristotelaeorum. Sensus aethereus Stoicorum. Daemon Socraticorum.

Malebrancii doctrina arguitur.

De

I esse

esse contendit, miror quomodo in primum Renati Carthe-  
fii verum concedat; *cogito, ergo  
sum*: cum ex eo quod Deus in  
me ideas creat, conficere po-  
tius debeat: *Quid in me cogi-  
tat? ergo est: in cogitatione au-  
tem nullam corporis ideam agno-  
sco: id igitur quod in me cogitat,  
est purissima mens, nempe Deus.*  
Nisi forte mens humana ita sit  
comparata, ut cum ex rebus,  
de quibus omnino dubitare  
non possit, ad Dei Opt. Max.  
cognitionem pervenerit; post-  
quam cum norit, falsa agnoscat  
vel ea, quae omnino habebat  
indubia. Ac proinde ex genere  
omnes ideae de rebus creatis  
prae idea summi Numinis quo-  
dammmodo falsae sint, quia de  
rebus sunt, quae ad Deum re-  
latae non esse ex vero videntur:  
de uno autem Deo idea vera  
sit, quia is unus ex vero est.  
Adeout Malebrancius si con-  
stare

stare doctrina vellet, docere  
debuisset, mentem humanam,  
necum corporis, cuius mens  
sit, sed vel sui ipsius a Deo co-  
gnitionem induere; itaut nec se  
quoque agnoscat, nisi in Deo  
se cognoscat. Mens enim cogi-  
tando se exhibet: Deus in me  
cogitat: in Deo igitur meam  
ipsum mentem cognosco. Sed  
haec esset Malebrancicae do-  
ctrinae constantia. Quod autem  
in nobis recipimus illud est, *Deus omnis mo-  
tus primus Au-  
ctor.*  
quod Deus omnium motuum,  
sive corporum, sive animorum,  
primus Auctor. Sed heic illae  
syntes, illi scopuli: quonam pa-  
cto Deus mentis humanae mo-  
tor; & tot prava, tot foeda, tot  
falsa, tot vicia? quonam pacto  
in Deo veracissima & absolu-  
tissima scientia; & in homine li-  
berum rerum agendarum arbi-  
trium? Certo scimus Deum o-  
mnipotentem, omniscium, opti-  
mum; cuius intelligere, verum;

*Deus omnis mo-  
tus primus Au-  
ctor.*

*Unde mala?*

*Quid arbitrium  
hominis libe-  
rum?*

DE MENTE.

cujus velle, bonum; ejus intelligere simplicissimum, & praesentissimum; ejus velle desinere, & ineluctabile. Quinimodo, ut Sacra docet pagina, nemo nostrum potest *quod Patrem* ire, nisi *Pater* idem *traxerit*.

Quomodo trahit, si volentem trahit? En Augustinus: *non solum volentem, sed & inbentem trahit, & voluptate trahit*. Quid aptius & divinae voluntatis

constantiae, & nostri arbitrii libertati? Hinc fit quod in ipsis erroribus Deum aspectu non amittimus nostro: nam falsum sub veri specie, mala sub bonorum simulacris amplectimur: finita videmus, nos finitos sentimus; sed id ipsum est, quod infinitum cogitamus: motus a corporibus excitari, a corporibus communicari nobis videre videmur; sed eae ipsae motus excitationes, eae ipsae communicationes Deum, & Deum

men-

*In ipsis erroribus  
tenebris lucet  
Deus.*

DE MENTE.

mentem motus authorem asserunt & confirmant: prava ut recta, multa ut unum, alia ut idem, inquieta ut quies cernimus: sed cum neque rectum, neque unum, neque idem, neque quietum sit in natura; falli in his rebus nihil aliud est, nisi homines vel imprudentes, vel falsos de creatis rebus, in his ipsis imitantis Deum Opt.

Max. intueri. Ideo Metaphysica de indubio vero tractat; quia de argumento est, de quo si vel dubites, si vel erres, si vel fallaris, certus fias.

*Cur metaphysica  
agat de indubio  
vero.*

## De Facultate.

## C A P. VII.

Facilitas unde  
dicta.

Animae facul-  
tates *elegantius*  
*in scholis dictae.*

Facultates sunt  
eorum, quae fa-  
cimus.

Sensus externi.

Olent res, olfa-  
ciant homines.

**F**acultas dicta quasi *facili-  
tas*: unde postea *facilitas*:  
quasi sit expedita, seu exprom-  
pta faciendi solertia. Igitur ea  
est facultas, qua virtus in actum  
deducitur. Anima virtus est: vi-  
sio actus: sensus videndi facul-  
tas. Quare satis eleganter *Scho-  
lae* loquuntur, quum sensum,  
phantasiam, memoriam, intel-  
lectum *animae facultates* di-  
cunt: sed elegantiam inquinant,  
quum colores, sapes, sonos,  
tactus in rebus esse opinantur.  
Nam si sensus facultates sunt,  
videndo colores, sapes gu-  
stando, sonos audiendo, tan-  
gendo frigida, & calida rerum  
facimus. Ejus antiquorum Ita-  
liae Philosophorum sententiae  
integrum in *verbis olere, & ol-*  
*fa,*

facere vestigium extat: res enim  
*olere*, animans olfacere dicitur,  
quod animans odorem olfactu  
faciat. Phantasia certissima fa-  
cultas est, quia dum ea utimur  
rerum imagines fingimus. Sen-  
sus internus item: nam adver-  
tendo vulnus, qui pugna ex-  
cedunt, dolorem sentiunt. Ad  
haec exempla intellectus verus  
facultas est, quo, quum quid in-  
telligimus, id verum facimus.  
Igitur Arithmetica, Geome-  
tria, earumque soboles Mecha-  
nica sunt in hominis facultate:  
quia in iis ideo demonstramus  
verum, quia facimus. Physica  
autem in facultate Dei Opt.  
Max. sunt, in quo uno vera fa-  
cultas est, quia expeditissima  
& expromptissima est: ut quae  
in homine facultas est, ea in Deo  
purissimus actus sit. Atque haec  
dissertata illud consequitur,  
quod quemadmodum homo in-  
tendendo mentem modos re-

De FACULTA-  
TE.

Phantasia.

Sensus internus.

Intellectus ve-  
rus.

Arithmetica,  
Geometria, &  
Mechanica sunt  
in hominis fa-  
cultate.

Physica in fa-  
cultate Dei.  
Vera facultas  
in Deo.

rum,



DE FACULTA-  
TE.*Ut vere omnia  
sunt pensieri di  
Dio.*

rum, earumque imagines, & ve-  
rum humanum gignat; ita Deus  
intelligendo verum divinum  
generet, verum creatum faciat.  
Itaut quod nos vernacula lin-  
gua improprie dicimus Statuas,  
& Picturas *pensieri degli Auto-  
ri*; id proprie de Deo dicatur,  
esse omnia quae sunt *pensieri  
di Dio*.

## De Sensu.

## §. I.

*Latini omnia  
mentis opera sen-  
sus.*

**L**atini *sensus* appellatione  
non solum externos, ut  
sensus videndi, ex. gr. & inter-  
num, qui *animi sensus* diceba-  
tur, ut dolorem, voluptatem,  
molestiam; sed iudicia, delibe-  
rationes, & vota quoque acci-  
piebant: *Ita sentio*, ita iudico:  
*stat sententia*, certum est: *ex sen-  
tentia evenit*, uti desiderabam:  
& in formulis illud *ex animi  
tui*

*tui sententia*. An igitur, quia DE SENSU.

antiqui Italiae Philosophi opi-  
nati sint, mentem humanam ni-  
hil percipere nisi per sensus, ut *Et haec erat  
Ethnica meta-  
physica.*

*Aristotelaei*; vel eam non nisi  
sensum esse, ut *Epicuri affectae*;  
vel rationem sensum quendam  
aethereum ac purissimum, ut  
*Platonici*, *Stoicique* existima-  
runt? Et vero Ethnicarum se-  
ctarum nulla, quae mentem hu-  
manam omni corpulentia pu-  
ram agnoverunt. Et ideo omne  
mentis opus sensum esse puta-  
runt; hoc est quicquid mens  
agat, vel patiatur, corporum ta-  
ctus sit. Sed nostra Religio eam  
prorsus incorpoream esse do-  
cet: & nostri Metaphysici con-  
firmant, dum a corporibus cor-  
porea sensus organa moventur,  
per eam occasionem moveri a  
Deo.

*Contrarium do-  
cet Metaphysica  
Christiana.*

De

## De Memoria, &amp; Phantasia.

## §. II.

Memoria quid.

Quid Reminiscencia.

Phantasia eadem ac memoria latinit.

Homini fingere nihil praeter naturam datur.

**M**emoria latinis, quae in sua penu per sensus percepta condit, quae *Reminiscencia*, dum promit, appellatur. Sed & facultatem, qua imagines conformamus, & *phantasia* Graecis, & nobis *imaginativa* dicta est, significabat: nam quod nos vulgo *imaginari*, Latini *memorare* dicunt. An quia fingere nobis non possumus nisi quae meminimus; nec meminimus nisi quae per sensus percipimus? Certe nulli pictores, qui aliud plantae, aut animantis genus, quod natura non tulerit, pinxerunt unquam: nam isti hypogryphes, & centauri sunt vera naturae falso mixta. Nec Poetae aliam virtutis formam,

## Sive Metaphysicus. 107

nam, quae in rebus humanis non sit, excogitarunt; sed de medio lectam supra fidem extulunt, & ad eam suos heroas conformant. Quare musas Graeci, quae phantasiae virtutes sunt, memoriae filias esse suis fabulis tradiderunt.

Cui musas memoriae filias.

## De Ingenio.

## §. III.

**I**ngenium facultas est in unum dissita, diversa conjungendi: id *acutum* latini, *obtusumve* dixerunt: utrumque ex geometriae penetralibus; quod acutum celerius penetrat, & diversa, tanquam duas lineas in puncto infra angulum rectum, propius uniat; obtusum vero quia tardius res intrat, & res diversas, uti duas lineas in puncto unitas extra rectum angulum longe dissitas a basi relinquat.

Ingenium quid. Acutum, et obtusum unde dictum.

DE INGENIO. quat. Et ita obtusum ingenium fit quod serius, acutum quod ocius diversa conjungat. Porro *ingenium* & *natura* latinis

*Ingenium, & natura idem.*

*Ingenium propria hominis natura.*

*Unus homo videtur rerum communis, seu proportionis.*

*Deus naturae artifex, homo artificiorum Deus.*  
*Cur scitum pro pulchro dictum*

*Cur Geometria, & Arithmetica scientiarum exploratissimae.*

idem: an quia humanum ingenium natura hominis fit: quia ingenii est videre rerum communis, quid aptum sit, quid deceat, pulchrum, & turpe, quod brutis negatum? An quia ut *natura* gignit physica, ita ingenium humanum parit mechanica; ut Deus sit naturae artifex, homo artificiorum Deus? Certe unde scientia, & inde *scitum*: quod non minus eleganter *ben'inteso*, & *agglutato* Itali vertunt. An quod scientia ipsa humana nihil aliud fit nisi efficere, ut res sibi pulchra proportionem respondeant, quod uni ingeniosi praestare possunt? Et ideo Geometria, & Arithmetica, quae haec docent, sunt scientiarum exploratissimae, & qui in earum usu excel-

*Sive Metaphysicus* 109  
cellunt *Ingegnieri* Italici appellantur.

DE INGENIO.  
*Ingegnieri cur sic dicti.*

### *De certa facultate sciendi.*

#### §. IV.

Quae meditata disquirendi occasionem faciunt, quae sit propria homini facultas ad sciendum data. Homo enim percipit, judicat, ratiocinatur: sed saepe percipit falsa, saepe temere judicat, perperam saepe ratiocinatur. Graecae Philosophorum sectae has homini ad sciendum facultates datas opinatae sunt, & sua quaque dirigi arte: facultatem nempe percipiendi Topica, judicandi Critica, ratiocinandi denique Methodo. De Methodo autem nulla in suis Dialecticis praecepta tradiderunt: quia eam satis superque pueri usu ipso, dum darent Geometriae

*Tres mentis operationes, Perceptio, Judicium, Ratiocinatio.*

*Tribus artibus diriguntur Topica, Critica, Methodo.*  
*Cnr antiquis nulla peculiaris Methodi ars.*

K triae

DE CERTA FA- triae operam, ediscebant. Extra  
CULT. SCIENDI. Geometriam antiqui ordinem  
putarunt prudentiae commit-  
tendum, quae nulla dirigitur  
arte; & quia nulla dirigitur  
arte, prudentia est. Nam soli  
artifices percipiunt ut alia pri-  
mo, alia secundo, alia alio  
loco disponas: quae ratio non  
tam prudentem, quam fabrum  
aliquem format. Et vero si me-  
thodum geometricam in vitam  
agendam importes,

*Methodo geome-  
trica nec consi-  
lia instituendo;*

*nihil plus agas,*

*Quam si des operam ut cum  
ratione insanias:*

& tanquam in rebus humanis  
non regnarent libido, temerita-  
tas, occasio, fortuna, per am-  
fractus vitae recta pergas. Me-  
thodo autem geometrica ora-  
tionem civilem disponere, idem  
est ac nihil in oratione acutum  
admittere, nec nisi ante pedes  
posita commostrare: auditori-  
bus tanquam pueris nihil nisi  
prae-

*Nec oratio civi-  
lis dispensanda.*

praemanum in os ingerere, & DE CERTA FA-  
ut uno verbo complectar, in CULT. SCIENDI.  
concione pro oratore docto-  
rem agere. Et sane demiror, qua  
ratione isti, qui tantopere in  
oratione civili methodum geo-  
metricam commendant, unum  
Demosthenem in eloquentiae  
exemplum proponant. Jam si  
ita Diis placet, Cicero confu-  
sus, inconditus, perturbatus: in  
quo tantum ordinem haecenus  
doctissimi viri, tantamque di-  
spositionis contentionem admi-  
rantur, ut prima quae dicit, se  
pandere quodammodo, & se-  
cunda excipere animadvertant;  
ita ut quae posteriore loco di-  
cit, non tam ab eo dici, quam  
ex rebus ipsis prodire & fluere  
videantur. At hercule Demo-  
sthenes, quid aliud totus est ni-  
si hyperbata ut recte *Dionysius*  
*Longinus*, omnium Rhetorum  
judiciosissimus, notat? Cui ego  
illud addiderim, quod in ejus

*Ciceronis ordo  
dicendi.*

*Demosthenes  
perturbatus.*

DE CERTA FACULT. SCIENDI.

*Et in perturbato dicendi ordine omnis eloquentiae demosthenicae vis continetur.*

perturbato dicendi ordine omnis enthymematica dicendi vis tanquam catapulta intendatur. Is enim de more proponit argumentum, ut moneat auditores qua de re agat: mox in rem, quae nihil cum re proposita commune videtur habere, excurrit, ut auditores quodammodo alienet ac distrahat: ad extremum similem rationem inter id quod assumit, & quod proposuit intendit, ut ejus eloquentiae fulmina eo cadant, quo magis improvisa, graviora. Neque sane putandum omnem antiquitatem manca ratione usam esse, quod hanc quartam, ut nunc numerant, mentis operam non agnoverint. Non enim ea quarta mentis operatio est, sed ars tertiae, qua ratio-cinia ordinantur. Itaque omnis antiqua Dialectica in artem inveniendi, & judicandi divisa est, Sed Academici toti in illa in-

*Methodus non est quarta mentis opera, sed ars tertiae.**Omnis antiqua Dialectica in Topicam, & Criticam divisa.*

DE CERTA FACULT. SCIENDI.

inveniendi, in illa judicandi totius Stoici fuerunt. Utrique prae: neque enim inventio sine iudicio, neque iudicium sine inventione certum esse potest. Etenim quonam pacto clara ac distincta mentis nostrae idea veri regula sit, nisi ea, quae in re insunt, ad rem sunt affecta, cuncta perspexerit? & quam ratione quis certus sit, omnia perspexisse, nisi per quaestiones omnes, quae de re proposita institui possunt, sit persecutus? Principio per quaestionem an sit, ne de nihilo verba faciat: deinde per eam quid sit, ne de nomine contendatur: tum quanta sit, sive extensione, sive pondere, sive numero: porro qualis, & heic contemplari colorem, saporem, mollitudinem, duriciem, & alia tactus: praeterea quando nascatur, quandiu duret, & in quae corrumpatur: & ad hoc instar per reliqua praedicamen-

*Critica Cartesianana sine Topica certa non est.*

DE CERTA FACULT. SCIENDI.

ta conferre, & cum omnibus rebus, quae ei sunt quodammodo affectae, componere; live sint causae, ex quibus nascatur, live quae producat effecta, live quid operetur, cum re simili, dissimili, contraria, maiore, minore, pari collata. Itaque Praedicamenta Aristotelis, & Topica, si quis in iis quid novi invenire velit, inutillima sunt; & Lullianus, aut Kirkerianus evadat, & similis ejus fiat, qui scit quidem literas, sed eas non colligit, ut magnum librum naturae legat. At si tanquam indices, & alphabeta habeantur quaerendorum de re proposita, ut eam plane perspectam habeamus, nihil ad inveniendam feracius: ut ex iisdem fontibus, ex quibus copiosi Oratores, & observatores etiam maximi provenire possint. Vicissim si quis in clara ac distincta mentis idea rem perspexisse confidat, facile

*Praedicamenta, & Topica Aristotelis qua ratione utilia ad inveniendum.*

sal-

DE CERTA FACULT. SCIENDI.

fallatur, & saepe rem distincte nosse putaverit, cum adhuc confuse cognoscit; quia non omnia, quae in re insunt, & eam ab aliis distingunt, cognovit. At si Critica facit locos Topicae omnes perlustrat; tunc certus erit se rem clare & distincte nosse; quia per omnes quaestiones, quae de re proposita institui possunt, rem versavit: & per omnes versasse, Topica ipsa Critica erit. Artes enim sunt quaedam literariae Reip. leges: nam sunt omnium doctorum virum animadversiones naturae, quae in regulas disciplinarum abierunt. Ita qui ex arte rem facit, is cum omnibus doctis se sentire certus est: sine arte facile fallitur, quia suae minus naturae fidit. Et quidem Tu, sapientissime PAULLE, haec ipsa censes, qui, dum tuum Principem instituis, non eum praecipis recta ad Criticam ar-

*Artes sunt literariae Reip. leges.*

tem

DE CERTA  
CULT. SCI.

tem contendere; sed diu multumque exemplis imbui, prius quam artem de iis iudicandi erudiat. Id quorsum, nisi ut prius efflorescat Ingenium, deinde arte iudicandi excolatur?

*Cur divisae inter Graecos Topica, & Critica.*

*Propria sciendi facultas ingenium.*

*In homine a puero sese exerit.*

Hoc dissidium inventionis, & iudicii non aliunde inter Graecos ortum, nisi quod facultatem sciendi propriam non attendunt. Ea enim ingenium est, quo homo est capax contemplandi, ac faciendi similia. Nos quidem in pueris, in quibus natura integrior est, & minus persuasionibus seu praeiudiciis corrupta, primam facultatem se exercere videmus, ut similia videant: unde omnes viros patres, facinas omnes matres appellant; & similia faciant,

*Aedificare casas, plostello adjungere mures.*

*Ludere par impar, equitare in barundine longa.*

*Quid sit sensus communis.*

Similitudo autem morum in

na-

nationibus sensum communem DE CERTA  
gignit. Et qui de rerum inven- CULT. SCIENDI.

toribus scripserunt, tradunt *Similitudo mater omnis inventionis.*

artes omnes, omniaque commoda, quibus ab artificiiis genus humanum ditatum est, aut forte fortuna, aut similitudine aliqua, quam vel bruta animantia commostrarint, aut homines sua excogitaverint industria, inventa esse. Haec quae hactenus diximus Italicam sectam novisse, id linguae vestigium docet, quod ratio, quae in scholis *medius terminus* dicitur, *argumen* sive *argumentum* appellarint. Argumen autem inde unde & argutum, seu acuminatum. Arguti autem sunt, qui in rebus longe distitis ac diversis, similem aliquam rationem, in qua sint cognatae, animadvertunt; & ante pedes posita transfiliunt, & a longinquis locis repetunt commodas rebus, de quibus agunt, rationes: quod spe-

*Argumentum cur ita dictum.*

*Arguti qui.*

*Quid autem ingenium.*

DE CERTA FA-  
CULT. SCIENDI.

*Inventio inge-  
nii, & opera, &  
opus.*

*Antiquissima  
Dialectica, In-  
ductio, & Col-  
latio similium.*

*Quid syllogis-  
mus.*

*Quid sorites.*

*Quae differendi  
ratio subtilis,  
quae acuta.*

specimen ingenii est, & acumen appellatur. Unde ingenio ad inveniendum necesse est: cum ex genere nova invenire, unius ingenii & opera, & opus sit. Quae cum ita se habeant, verisimilis conjectura est, antiquis Italiae Philosophis nec syllogismum, nec soritem probari, sed inductione similium in differendo usos esse. Et ratio temporum id suadet: nam antiquissima omnium Dialectica erat inductio, & collatio similium, qua ultimus Socrates usus est: postea syllogismo Aristoteles, sorite Zeno differuerunt. Et vero qui syllogismo utitur, non tam diversa conjugit, quam speciem sub genere positam ex ipsius sinu generis explicat: qui utitur sorite causas causis, cuique proximam attexit: quorum qui alterutrum praeflat, non tam duas lineas in angulum infra rectum conjungere, quam unam

li-

*Sive Metaphysicus.* 119

lineam producere; & non tam acutus, quam subtilis esse videatur: quanquam qui sorite quam qui syllogismo utitur, tanto subtilior est, quanto crassiora sunt genera quam cujusque rei causae peculiare. Soriti Stoicorum Geometrica Renati methodus respondet. Sed ea in Geometria utilis, quia eam Geometria patitur: ubi & definire nomina, & postulare possibilia licet. Sed ea, ab argumentorum mensurarum & numerorum abducta, & in physicam importata, non tam utilis est ut nova inveniamus, quam ut ordine disponamus inventa. Tu ipse PAULLE doctissime id mihi firmaveris. Nam quid est, quod alii bene sane multi istam methodum callent, nec quae tu praeclarissime cogitas apti sunt invenire. Tu vero natu grandior ad interiores literas animum appulisti: vitam in judi-

*Methodus Geo-  
metrica ear in  
geometria utilis  
ad inveniendum*

*Extra geometri-  
ca utilis ut di-  
sponamus inven-  
ta.*

cuius



ciis de ingenti re pecuniaria cum principibus & magnae potentiae viris, necessariis tuis exercitum habuisti: omnia viri liberalis officia hoc saeculo usque ad moram officioso, & interdiu & ad multam noctem obis; & tantum brevi profeceris, quantum vix alius in hisce studiis omnem aetatem abditus proficere potuisset. Vide ne tua modestia id methodo accepto, referas, quod est divini ingenii tui beneficium. Concludamus ad extremum non methodum geometricam in physicam, sed demonstrationem ipsam importandam. Maximi Geometrae principia physicae ex principiis matheseos spectarunt, ut ex antiquis Pythagoras, Plato, ex recentioribus Galilaeus. Ita peculiariora naturae effecta peculiaribus experimentis, quae sint peculiariora geometriae opera, explicare par est. Id curarunt in

*Non methodus  
geometrica, sed  
demonstratio in  
physicam impor-  
tanda.*

nostra Italia Maximus Galilaeus, & alii praeclarissimi Physici; qui antequam methodus geometrica in physicam importaretur, innumera & maxima naturae phaenomena hac ratione explicarunt. Id curant unum sedulo Angli, & ob id ipsum physicam methodo geometrica publice docere prohibentur. Ita Physica provehi potest. Idque adeo in dissertatione de *Nostri Temporis Studiorum Ratione*, physicae incommoda ingenii cultu vitari posse innui; quod aliquis methodo occupatus ferte miratus sit. Nam methodus ingenii obstat, dum consulit facilitati: & curiositatem dissolvit, dum providet veritati. Nec Geometria acuit ingenium, quum methodo traditur, sed quum vi ingenii per diversa, per alia, multijuga, disparata in usum deducitur. Et ideo non analytica, sed syn-

*Geometria  
quando acuit  
ingenium.*

*Synthesis inveni-  
nit, Analysis  
facit vera.*

DE CERTA FA-  
CULT. SCIENDI. thetica via eam edisci desiderabam; ut componendo demonstrarem, hoc est ne inveniremus vera, sed faceremus. Invenire enim fortunae est, facere autem industriae: & ob id ipsum neque per numeros, neque per species, sed per formas eam tradi desiderabam; ut si minus ingenium inter ediscendum ex-

*Phantasia ingenii oculus, ut iudicium est oculi intellectus.*

coleretur, phantasia firmaretur tamen; quae ita est ingenii oculus, ut iudicium est oculus intellectus. Et vero Carthesiani, quos tu, PAULLE, litera, non spiritu Carthesianos eleganter appellas, animadvertere haec possent, quae dicimus, se, quanquam verbis negent, re ipsa profiteri: qui vera ad quorum normam cetera dirigunt, praeter illud, quod a conscientia petunt; *cogito; ergo sum*; non aliunde nisi ab Arithmetica, & Geometria, nempe a vero, quod facimus mutuamur: & illa celebrant

brant sit verum ad hoc instar, ut  
DE CERTA FA-  
CULT. SCIENDI. tria & quatuor faciant septem; ut  
trianguli duo anguli ambo sunt  
tertio majores: quod tantundem  
est, quantum ex geometria physica  
spectare; & qui id postulat,  
re ipsa hoc postulat, tunc  
mibi physica vera erunt, cum feceris:  
ut geometrica ideo hominibus  
sunt vera, quia faciunt.

*De Summo Opifice.*

# C A P. VIII.

Cum his, quae de vero & facto differuimus, & quod verum sit collectio elementorum ipsius rei, omnium in Deo, extimurum in homine: & verbum mentis proprium in Deo, improprium in homine fiat: & quod facultas sit eorum, quae facimus, & quae solenter, & facilliter facimus, haec quatuor latinorum verba, *Numen, & Fatum, Casus, & Fortuna* consentiunt.

Numen.  
Fatum.  
Casus.  
Fortuna.

L 2 De

*De Numine.*

§. I.

**D**Eorum voluntatem dixerunt *Namen*, quasi Deus Opt. Max. suam voluntatem facto ipso significet, & tanta celeritate & facilitate significet, quam celer & facilis nutus est oculorum. Itaut quod *Dionysius Longinus* admiratur de *Mose*, eum digne divinam omnipotentiam, & granditer illa locutione expressisse, *dixit, & facta sunt*; latini uno verbo utrumque significasse videantur. Divina enim bonitas, volendo res, quas vult, facit, & tanta facilitate facit, ut eae ex seipsis existere videantur. Quare cum *Plutarchus* Homeri poë-

*Divina bonitas  
volendo res facit.*

*Cum Poëtae, & sim, & picturas Nicomachi Pictores divini dicunt,*  
quod sponte sua orta, non arte ulla facta viderentur; ego putato ab hac fingendi facultate

Poe-

Poëtas, Pictoresque dictos esse *DE NUMINE* divinos; itaut haec divina faciendi facilitas Natura sit; in homine autem sit rara & praeclara illa virtus, tam difficilis, quam commendata, nobis dicta *naturalezza*: Cicero vertet *genus sua sponte fufum, & quodammodo naturale.*

*Natura quid.*

De Fato, &amp; Casu.

§. I.

**D**ictum latinis idem ac *certum*; certum idem ac *dictum*, nobis *determinatum*: *Fatum* Certum. autem & *dictum* idem: & *factum* & *verum*, cum verbo convertuntur. Et ipsi latini cum quid celeriter effectum datum significare volebant, *dictam factum* dicebant. *Factum.* Ad haec & rerum & verborum exitum *casum* Casus. *factum* dixerunt. Igitur qui Itali sapientes has voces primi excogitarunt, aeternum causarum ordinē *fatum*, ejus aeterni causarum ordinis eventum *casum* esse

L 3

DE FATO ET  
CASU.*Cur fatum inexorabile.*

esse sunt opinati: ita ut facta Dei dicta sint, & rerum eventa verborum, quae Deus loquitur, casus; & Fatum idem ac factum: & ideo fatum putarunt inexorabile; quia facta infecta esse non possunt.

*De Fortuna.*

## §. II.

Fortuna unde.

Fortus.

*Fortuna quid.*

**F**ortuna five prospera, five adversa dicebatur; & tamen fortuna ab antiquo *fortus*, seu bonus dicta. Quare postea, ut alteram ab altera separarent, *fortem fortunam* dicebant. Fortuna autem Deus est, qui ex certis causis praeter nostram spem operatur. An igitur antiqua Italiae Philosophia opinata est, Deum bonum facere quicquid facit, & omne verum, seu omne factum idem sit bonum. Nos autem prae nostra iniquitate, qua nosmetipsos,

non

*Sive Metaphysicus.* 127

DE FORTUNA.

*Mundus naturalis Resp.**Quo sensu Fortuna omnium Regina.*

non hanc rerum universitatem spectamus, quae nobis adversantur, mala putemus; quae tamen, quia in Mundi commune conferunt, bona sunt? Itaque Mundus sit quaedam naturae Resp., in qua Deus Opt. Max. commune bonum spectat ut Princeps, certum quisque suum uti privatus: & malum privatum sit bonum publicum: & quemadmodum salus populi in Rep. ab hominibus fundata summa lex est; ita in hac rerum universitate a Deo constabilita, Fortuna omnium Regina sit; seu Dei voluntas, qua universi salutem spectans in privatis omnium bonis, seu peculiariibus naturis dominatur: & uti saluti publicae salus privata loco cedit, ita conservationi universi bonum cujusque peculiare posthabeatur; atque eo pacto adversa naturae sint bona.

CON-

*Operae praecium**Summa operis  
capito.*(a)  
CAP. I.

(1)

§. I.

(2)

§. II.

(3)

§. III.

**H**Abes, sapientissime **PAUL-  
LE DORIA**, Metaphysi-  
cam humana imbecillitate di-  
gnam, quae homini neque om-  
nia vera permittat, neque om-  
nia neget, sed aliqua; Christianae  
pietati commodam, quae verum  
divinum ab humano discernat,  
neque humanam scientiam di-  
vinam, sed divinam humanae re-  
gulam proponat; experimenta-  
li physicae, quae nunc cum in-  
genti humani generis fructu  
excolitur, ancillantem; utpote  
ex qua id pro vero in natura ha-  
beamus, cujus quid simile per  
experimenta faciamus. Ete-  
nim habes verare, & facere idem  
esse (a): atque inde Deum scire  
physica, hominem scire mathe-  
matica (1), & ita neque Dog-  
maticos omnia (2), neque Sce-  
pticos nihil scire (3). Indidem  
genera ideas esse, perfectissimas,

ex

*Conclusio.* 129

ex quibus Deus absolute facit;  
imperfectas, ex quibus homo  
ex hypothesi facit vera (b). Ex  
his ipsis probare a causis esse  
ipsum efficere (c). Sed quia Deus  
rem quamvis minimam infinita  
virtute facit, ut existentia  
actus & res physica est, ita re-  
rum essentiam virtutem ac rem  
metaphysicam esse, proprium  
hujus doctrinae argumentū (d).  
Atque ita esse in metaphysica  
genus rei, quae est virtus ex-  
tensionis & motus, & ini-  
quis sive extensis, sive motibus  
aequa subest; idque punctum  
metaphysicum esse, hoc est rem  
quandam, quam ex hypothesi  
puncti geometrici contem-  
platur (1); atque ipsis Geome-  
triae sacris Deum purissimam &  
infinitam mentem demon-  
strari; inextensum facere exten-  
sum, excitare conatus (2), compone-  
re motus (3) & quietum (4) mo-  
vere omnia (5). Habes in ho-

129

(b)  
CAP. II.(c)  
CAP. III.(d)  
CAP. IV.(1)  
§. I.(2)  
§. II.(3)  
§. III.(4)  
§. IV.(5)  
§. V.

(e)  
CAP. V.(f)  
CAP. VI.(g)  
CAP. VII.

(1)

§. I.

(2)

§. II.

(3)

§. III.

(4)

§. IV.

(b)

CAP. VIII.

(1)

§. I.

(2)

§. II.

(3)

§. III.

minis anima animum (e), & in animo mentem, & in mente Deum praesidere (f). Et mentem advertendo facere (g) ficta, vel ex hypothese vera humanam, absolute vera divinam (1) (2) (3). Hinc ingenium homini ad sciendum, seu faciendum datum (4). Habes denique Deum (h) nutu, seu faciendo velle (1): fando sive aeterno causarum ordine facere: quod nos ex ignorantia nostra dicimus casum (2) ex nostra utilitate fortunam (3). Recipe in tuam fidem, rogo, haec Itolorum de divinis rebus placita. Tuum enim est, qui ex nobilissima & maximarum rerum gestarum monumentis inclita Italiae familia prognatus es; & Metaphysicae cultura doctissimus per Italiam celebraris.

*Reverendiss. P. Abbas D. Benedictus Laudati Cassinensis videat, & referat. Neap. 4. Augusti 1710.*

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. P. M. Giptius Can. Dep.

## EMINENTISSIME PRINCEPS.

I Naccessam usque adhuc, novamque Metaphysicae methodum juxta antiquum Italarum sensum ex primitivarum vocum fodinis ab U. J. D. Jo: Baptista de Vico Regio Eloquentiae Professore consueta, qua pollet, industria elucubratam, auctoritate Eminentiae Vestrae diligenter, ac animi voluptate examinavi; nihilque in eadem, quod Orthodoxae fidei, vel Christianorum morum puritatem laedat, deprehendi; quare prae materiae novitate, rerumque obscurarum dilucida, brevique explanatione opusculum hoc dignum puto (si ita Eminentiae Vestrae placuerit) quod publicis typis mandetur; in eo etenim Sapientiae Amatores semina non pauca habebunt, ex quibus, & aliis quae Vir doctissimus, Deo dante, promittit, facundiores ad Religionis cultum, ac opera naturae contemplanda excitari possunt ideae. Neapoli in Monasterio S. Severini die xxiv. Mensis Octobri 1710.

Emin. Vestrae

*Add. Hissinus Servus*  
D. Benedictus Laudati.

*Visa supradicta Relatione, imprimatur.*  
SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.  
D. P. M. Giptius Can. Dep.

Reo.

*Rev. D. Petrus Contegna videat, & in scriptis  
referat.*

GASCON R. BISCARDUS R. GAETA R.  
ROSA R. ARGENTO R.

*Provisum per S. E. Neap. 22. Octobr. 1710.*

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

**L**Egi librum, cui titulus: *De antiquissima  
Italarum Sapientia ex linguae latinae origi-  
nibus eruenda libri tres U. F. D. Johannis Bapti-  
stae a Vico Neapolitani Regii Eloquentiae Professoris:*  
& non solum in eo nihil offendi contrarium bonis  
moribus, ac regali jurisdictioni: sed miratus sum  
arcanarum rerum profundissimam eruditionem:  
Divinae naturae, quantum homini licet, distin-  
ctam ac vividam expositionem: Auctor verò hu-  
jus cultissimi libri Dei vini tam creatricem, quam  
universitatis rerum gubernatricem optimis ratio-  
nibus probat: germana philosophandi libertas  
pietate conjuncta ab eo summo opere promovetur:  
principia rerum subtili ac facili ratiocinandi me-  
thodo explicantur: quin proinde nobilissimum  
opus ut typis mandetur omnino censeo. Neapoli  
vii. Kalendas Novembris 1710.

Excell. Tuae

*Add. Eiusdem fam. Lus.*

Petrus Contegna.

*Visa supradicta Relatione imprimatur, & in publica-  
tione servetur Reg. Prag.*

GASCON R. BISCARDUS R. GAETA R.  
ROSA R. ARGENTO R.

*Provisum per S. E. Neap. 29. Octobr. 1710.*

Mastellonus.